




# **Declaratio caussarum, ob quas Belgium grauissimis praemittur calamitatibus, cum demonstratione remedij aduersus easdem efficacissimi.**

<https://hdl.handle.net/1874/427731>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

S. oct.

PETRITÄD.

ACDONAR.

SPURSCH.

BALDRE.

SPURSCH.

SPURSCH.

SPURSCH.

SPURSCH.

SPURSCH.


SPURSCH.

SPURSCH.

SPURSCH.


S. oct.

1478












Historia Gentium


Octavo n° 1478.


S. oct.  
1478




















DECLARATIO  
CAVSSA =  
RVM, OB QVAS BEL,  
GIVM GRAVISSIMIS PRAE-  
mitur calamitatibus, cum demon-  
stratione remedij aduersus eas-  
dem efficacissimi.

Auctore V.P.F. Petro à S. Audomaro, alias de  
Ualloncappelle, Religioso instituti D.  
Benedicti, ex monasterio montis  
sancti UInnocij.

I E R E M I A E 9.

Quis annunciet, quare perierit terra? &c. Et dixit  
Dominus, quia dereliquerunt legem meam quam  
dedi eis, & non audierunt vocem meam, &  
non ambulauerunt in ea, & abierunt  
post prauitatem cordis sui, &  
post Baalim,



C O L O N I A E,  
Apud Maternum Cholinum.  
M. D. LXXXII.

Cum Gratia & Privilieg. Cæs. Maiest.

**A**ND **S**AYD **G**O M<sup>Y</sup>  
GOD I **W**ANT **T**HE **C**ONTROL  
AND I **W**ANT **M**Y **W**ORLD  
TO **B**E **U**NEAR **Y**OU ALL  
**(N**ext **l**ine **s**ub<sup>b</sup>)

**A**ND **S**AYD **G**O M<sup>Y</sup>  
GOD I **W**ANT **T**HE **C**ONTROL  
AND I **W**ANT **M**Y **W**ORLD  
TO **B**E **U**NEAR **Y**OU ALL

**A**ND **S**AYD **G**O M<sup>Y</sup>  
GOD I **W**ANT **T**HE **C**ONTROL  
AND I **W**ANT **M**Y **W**ORLD  
TO **B**E **U**NEAR **Y**OU ALL

**ILLVSTRIS-**  
**SIM O, EXCELLENTIS-**  
**SIMO Q VE DOMINO D.** A-  
lexandro Farnesio, Principi Parmen-  
si, Regiæ Catholicæ Maiestatis, Ditio-  
num Belgicarum Gubernatori, ac su-  
premo exercitus duci, Principi  
verę religioni deditissimo,  
& domino suo clemen-  
tissimo.

**D**Erpendens anti-  
mo, Illustrissime  
Princeps, quan-  
tum Belgis ma-  
lorum attulerit  
ignorantia cauſarum, tumul-  
tuum, seu tempeſtatum; quibus  
haeſtenus iactamur: quodq; fal-  
ſo concepta de ijs opiniones plu-  
rimos pertraxerint, ut parti-

A 2 inua-

## EPISTOLA

inuasoris Belgici dominij fauerent, atque etiam suppétias ferrent; opera pretium fore duxi, si de causis Belgicarum calamitatum aliquid scriberem, persuasus non paucos, percepta illarum, ut à nobis expendūtur, ac declarantur, cognitione, futuros, ut ab iniqua mox resiliant sententia, ac etiam Regia Maiestati se se vltro dedant, eiusq; causam constantius, deinceps tueantur. At quetantò libentius hunc suscepi laborem, quod mihi in exilium ex Flandria, hereticorū perfidia, Geusiorumq; militum sauitia abacto, plus satis suppeteret oīj ad hac concinnāda, tum quōd mo-

nasti.

DEDICATORIA.

nasticen, cuius sum cāandidatus,  
dum sartam tectam cum mo-  
nasterio patrum nostrorum im-  
mensis laboribus ac impensis e-  
recto, cōseruare anniterer, sub  
iugo plane barbarico eorum,  
qui authores sunt presentium  
erumnarum, aliquamdu vi-  
uens, didicerim exactius, quin  
Egregiē persenserim, quanta  
ferueant malicia, & in Ecclesi-  
asticos malevolentia, quo dein-  
de suas intentiones, studia, o-  
peras dirigant, qui patria liber-  
tatis assertores, eiusq; à tyran-  
nide vindicatores dici volunt,  
cum sint ipsi patria oppressores,  
eiusq; crudelissimi tortores. Por-  
rò cum hi nostris hisce scriptis

## EPISTOLA

suis depingantur coloribus, & calamitatū cause: iuxta plurimorum opiniones perperam de illis sentientium minimè expēdantur: Consultum mihi visum fuit, si hac nostra qualia- cunq<sup>z</sup> studia dedicarem ei, qui posset & vellet tum suffragijs, tum sua authoritate ea defen- dere aduersus illos, qui verita- ti luculētō proposita aurem ac- commodare detrectabunt, nec ferēt sua à nobis lacinari bul- cera nimis, ea, ut pus omne ex- puant, premi. At qui hac mihi animo pertractanti, ilico tua Illustrissime Princeps, occurrit celsitudo, qua non minori est Belgiis in admiratione ac reue- rentia.

DEDICATORIA.

rentia, quām authoritate apud eosdem prædita. Nimirum per Heroica in Bellis facinora, tuamque in rebus gerendis prudētiam, nec non ineffabilem erga omnes Belgas humanitatem (quorum gratia tibi omnium nostrū animos maximè deuinxisti) tum ob eximiam infidem Catholicam & Regem nostrum longè clemētissimum, piетatem, quæ te tuis exditionibus ubi liberū tibi fuerat, summacum gloria, quiete, opulenta, dominari compulit: & in Belgicam descenderes Galliam, Regi Catholico subditam, utique præliaturus prælia domini adversus perditissimos hostes Ma-

## EPISTOLA

ie statis diuine ac Regiae, totumque Belgium Regis authoritate recturus. Armis deinde quā doquidē cum hereticis, & impissimis inuasoribus Belgij, aliter aginon potuerit, Belgis, Deo, Regiq; deuotis, pacem quietemq; redderes. Illis, ut patriæ hostibus nocentissimis ex Belgio profligatis. Quod Deo votis ac virtutibus tuis aspirante, facturum te propediem omnes speramus, atque etiam totis præcordijs id ipsum ab eo, & abste efflagitamus. Itaque isthac aliaq; perplura, quantum uis magno heroë digna in te consyderans, atque exosculans.

quam humillime me ipsum cun-

## DEDICATORIA.

his nostris lucubrationibus nō  
indignis, ut multorum est sen-  
tentia, quae in lucem prodeant  
T. Celsitudini offero atque con-  
secro, supplicans, quatenus à  
maleuolis, inimicisq; veritatis  
tueri nos ac protegere digne-  
tur. Quod spero supplici non  
dedignaberis præstare, ubi in-  
tellexeris sincerè nos causas  
tractasse calamitatum, quibus  
propulsandis tuum omne cōfers  
studiū, vitamq; exponere hanc  
dubitā. Tum quod illa scrip-  
titando falsas de Rege ciusque  
fidelioribus seruis conceptas, à  
vulgo & quibusque maleuolis  
opiniones ac sententias conuel-  
lere studeamus, veras profal-

A s sis.

## EPISTOLA

sis, omnium ob oculos ponentes,  
arq; etiam subditos varijs de-  
busos mendacijs, partibusq; v-  
surpatorum fauentes, Regis suo  
ac domino legittimo, quantum  
doctrina à nobis potuit fieri, re-  
stituere: eiq; arctius coniunge-  
re. Ut omittam pharmaca ad-  
uersus calamitates Belgicas ex  
diuersis ortas causis, hic propi-  
nari efficacissima. Feceris pro-  
inde tua humanitate haud in-  
dignum, si hoc literarum mu-  
nusculum, ea, qua aliorum so-  
les, benignitate, ac animi grati-  
tudine excepéris, patiarisque,  
ut tua protectione munitum  
in lucem prodeat. Quod si pro  
tua in studioso humanitate fa-

dum

## DEDICATORIA.

etum senserimus, libetius profecto ac studiosius ad Belgicam Rempub. Religionemque Catholicam iuuandum, nostra licet exigua conferemus studia, eo quenomine instatius Deum ac patrem domini nostri Iesu Christi orabimus, supplicates, ut per te refrenentur potenti- us, atque etiam ex Belgio profili gantur, qui omnes Deo deuotis infestissime prosequuntur, qui fidem Catholicam putidis simo Caluini fermento inficere nituntur, q patria olim florentissimam depopulatur. Qui Catholicum Regem, suum domi- num abnegant, persequuntur, maledictis lacerant, aliaque di

EPISTOLA

et tu horrenda perpetrant.

Deus optimus Maximus in  
Belgarum commodum digne-  
tur Celsitudini tuae p̄ijs fauere  
studijs, salutem tuā, ut omnes  
optāt Belga, tueri, vitam diu-  
tiſſimè conseruare in columen;  
sancta tuo pectori ingerere con-  
ſilia, vires amplificare, quas  
in Dei augenda atque illustrā-  
da gloria, Regis verò nostri  
promouendis desiderijs ac stu-  
dijs, quibus suo Belgio procu-  
rat pacem, multò libentissime  
exponis.

F. Petrus Tae Celsitudini dediūſſimus  
à S. Audomaro, alias de Vallon-  
cappelle.

AD CATHOLICVM  
LECTOREM CARMEN M.

Adriani vande Brule, Sacre The-  
ologiæ Licentiatæ.

**S**i quis fortè volet, cognoscere Belgica fata,  
Et quæ tama fuit discere causa mali,  
Curve modo pereat regio famosa per orbem,  
Quæ quondam fælix cœnparadisus erat.  
Ista docet Petrus Ut Valloncappellius ecce,  
Succincto narrans plurima gesta style.  
Quæ populi rabies, qui præui dogmatis error,  
Et quam Belgarum plebs male sua fuit.  
Quidue usurpator, Regis fideiq; deiq;  
Immemor, effecit patriæ in exitium,  
Quomodo veliechnis, centuris aranea muscam  
Exurit patriam turpis ipse suam,  
Quoniam dolo teles commiscerit ima supremis,  
Et quibus auspicijs heresis orta fuit.  
Quia velut insana factus iruclentior hydra,  
Mille parit colubros, milleq; monstra fous;  
Templa prophanando passim, diuinæq; sacra,  
Funditus euertens religionis opus:  
Qualiter & Domini Christos templi q; ministros  
Affecit varijs mortiib; exilijs,  
Plures hic aliae narrantur & ordinæ cause;  
Itas ut caneat, nescia posteritas.  
Quas doctum hunc nosces, lector, voluendo libellū  
Cautior ut capias pharmaca sana; Vale.

ALIVD  
CARMEN M. CORNELII KNOPIT.

Belgica que fuerat quondam ditissima tellus,  
Nunc longo bello, pauper, inopsq; iacet.  
Non ferro scinduntur agri, non manibus, unde  
Tuis nemo suis adibus esse potest.  
Cessat religio, spernuntur iura, scelestis  
Non iura incutunt religione metum,  
Qui miseris soliti defendere legibus, & qui  
Curarunt sacra religionis opua.  
Hi sunt à patria longe tellure remoti,  
Hoc illos reprobi constituere loco.  
Latius exponit U Valloncappelius exul,  
Omnia praesenti, lector amice libro  
Unum ego te moneo, Belgarum disce pericula,  
A falsa ut caueas religione tibi.

REVERENDI PATRIS M.  
Pauli Quesnelij Grimbergensis cœnobij pre-  
positi ad Belgiam matrem Carmen.  
Mœsta tua clavis sine scis Belgia causam,  
Hic tibi tractatu perspiciendus erit.  
Auihorem inuenies, qui te nūc vexat & angit:  
Impietas quippe est maxima causa malis,  
Prosperitas rerum te dementauit, ob idq;  
Oblita es domini sic saturata tui.  
Crimina tolle igitur, tolles simul omnia bella;  
Grataq; eris domino, rursus, ut ante tuo.  
Hoc Petrus U Valloncapelius ianus optat  
alumnus,  
Consulit & scriptis vir pius hisce suis:

ERRATA, Q VAE OBSC V.  
rioris manuscripti exemplaris culpa  
Irrepere, sic restitue.

Folio 7. linea 10. Referenti. 17. l. 27. eamque. 20. l.  
24. inutilium 32. l. 9. cancro. 41. l. 13. utrisq;. 46. l. 10.  
solutus. 46. l. 22. communem. 54. l. 2. Dixisti quid mi-  
hi l. 23 eius 59. l. 4. dominia. 105. l. 18. furore 139. l. 23.  
Plumarias 142. l. 14. editis 144. l. 11. de sacerd 175. l.  
14. conditiones 179 l. 5. ascripta 182. l. 15. parit 191. l.  
25. obiecerint 103. l. 2. habentes 199. l. 13. quo demersi  
l. 20. sanguine sunt 200. l. 2. quam, abundat 214. l. 4.  
seps 242. l. 4. Et l. 16. lumine 243. l. 21. qui 278. l. 13.  
propterea me odit 281. l. 10. pronam 286. l. 9. factis  
291. l. 16. augendas l. 17. si, pro scilicet.

OPVSCVL H V I V S

CAPITA.

- I. Succincta causarum enarratio. pag. 1.  
II. De calamitatibus Belgij. 4.  
III. Peccata Belgarum esse calamitatum ge-  
neralem causam. 8.  
IV. Astri non esse ascribenda Belgarum pe-  
ccata, ne dum calamitates. 18.  
V. De inquisitione Hispanica. 29.  
VI. De insolentia milium Hispanorum quid  
sentiendum. 41.  
VII. De exactiōibus factis à Duce Albano,  
alijs patriæ Gubernatoribus. 51.  
VIII. De Pacificatione 1576. Gādāni facta. 60.  
IX. De absentia Regie Maiest. à suo Belgio. 74.  
X. De luxu fastuq; nobilium Belgij. 81.  
XI. De inhenili atate senatorum. 86.  
XII. De

INDEX CAPITVM.

- XII. De Belgarum diuinijs, & carandem  
tranquilla possessione. 43.
- XIII. De libertate quam affectarunt Belgæ. 110.
- XIV. De conniventia Magistratum. 122.
- XV. De indulgenti educatione & corrupia in-  
stitutione iuuenientie. 135.
- XVI. De usurpatoribus Belgij, & malis, que  
per eos comigerunt. 146.
- XVII. De Heresarchis, qui in Belgium sunt,  
introducti. 182.
- XVIII. De singulari causa calamitatum Bel-  
gicarum. 205.
- XIX. Ostenditur non fuisse obtemperatum De-  
cretis Concilij Tridentini. 220.
- XX. Ecclesiasticorum peccata Deo esse maximè  
inuisa. 237.
- XXI. Paucorum reformationem non fuisse sus-  
ficiēcē, ut iram Dei à Belgio auerteret. 245.
- XXII. Arguuntur, qui contrarij persistūt Con-  
ciliūniuersalis definitionibus. 251.
- XXIII. Cur heretici Ecclesiasticos granus  
persequantur. 255.
- XXIV. De finali calamitatum Belgicarum  
causa. 259.
- XXV. Consolatio iustorum, qui Belgicis puni-  
untur calamitatibus. 266.
- XXVI. De remedij, quibus dictis calamitati-  
bus occurri potest. 283.
- XXVII. Oratio ad Deum vice Epilogi. 296.

Finis Capitum.

DECLARATIO  
CAVSSA.

RVM, OB QVAS BEL-  
GIVM GRAVISSIMIS PRE-  
mitur calamitatibus, cum demon-  
stratione remedij aduersus  
eadem efficacissimi.

*Succincta causarum enarratio*

*Cap. I.*

 Onsideranti mihi  
atque lugenti non  
minus graues quā  
varias afflictiones,  
quibus Belgiū Re-  
gis Hispaniarum  
Imperio subditum  
vastatur, opprimi-  
turque, occurrerunt causæ eiusmodi  
calamitatum permultæ. Quarum aliæ  
a pluribus accusantur, reprobantur, da-  
mnantur. Aliæ vero à non pauciori-  
bus excusantur, probantur, iustifican-  
tur. B

## CAVSÆ CALAMITAT.

tur. Qui enim nutriti sunt in fide Catholica, & sacrarum vel tenuiter imbuti sunt sensu scripturarum, praesentes ærumnas ascribunt Belgarum peccatis, ut etiam suis proprijs. Sunt deinde, qui has tribuunt astris nostro saeculo dominantibus, de Deo, non ut par est sentientes, suaque peccata ac scelerata impiè hac ratione excusantes. At quibus ludus est religionis Catholice, ac totius Belgij cuersio, ut imperitum vulgus, ( quod opinione frequentius quam ratione ducitur ) concitent, secumque ad idem malorum baratrum pertrahant, calamitatum nostrarum causam Hispænicæ inquisitioni, quam innumeris onerant mendacijs, ascribunt. Tum etiam tyrannidi ( sic enim illis pro suo scilicet candore libet loqui ) Hispanorum militum. Sunt praeterea, qui grauissimè accusant exactiones denariorum centesimi, vigesimi decimi, & alias. Alij calamitates suas pacificationi anno 1576. Gandaui factæ imputant, atque etiam absentias Regis nostri à suo Belgio nimis diuturnæ. Alijs eisdem ascribentibus lu-

xui, fastuique nimio, nec non ætati iu-  
uenili nobilium quorundam, ac pa-  
triæ primatum. Sunt rursum qui exi-  
stiment abundantiam diuitiarum, qui-  
bus ante hos tumultus patria afflu-  
bat, non parum flammæ administras-  
se ad præsentem Belgij conflagratio-  
nem, sicut & effrenem populi licen-  
tiam. Alij hancflammam conniven-  
tia Senatus, & nimis indulgenti edu-  
catione & corrupta institutione iu-  
uentutis, natam & auctam asserunt.  
Deinde non desunt, qui nostras tribu-  
unt ærumnas, nec sane im merito, im-  
pijs Belgij usurpatoribus, nec non hæ-  
resiarchis, nuper in Belgium admissis.  
Cæterum, qui religiosius res conside-  
rare didicerunt, post diligentiorē  
singularis ac præcipua causæ nostra-  
rum calamitatum inquisitionem, hāc  
vnam esse censem, quod proscripta  
sui reformatione, aut nemo aut rarus  
admodum fuerit, qui vitam compo-  
nere studuerit, iuxta sacrosanctæ Sy-  
nodi Tridentinæ decreta. Potro nos  
minime nescij, quid vtilitatis contine-  
at vera dictarum cognitio causarum,

## CAVSÆ CALAMITAT.

quantumūc patriæ dispendij afferat,  
falsarum pro veris iactatio atque de-  
fensio, arbitrati sumus operæ pretium  
futurum, si singulas pro viribus excu-  
teremus, veras à falsis discernentes, at-  
que à capitali minus principales. Nec  
non ob oculos omnium poneremus,  
miserias & calamitates varias Belgiū  
hactenus opprimentes: ac tum demū  
remedia subiungeremus, quibus præ-  
dictis malis occurri, eaque penitus ex-  
pellī, ac funditus extirpari possint.  
Quod Deo iuuante sic facturi sumus,  
vt neq; nos laboris pœnitentia suscepimus,  
neque eos ad quos præsens tractatus  
percuenerit repetitæ lectionis.

## De Calamitatibus Belgij.

### Cap. II.

**H**I S ita præmissis, antequam  
agrediamur demonstratio-  
nem causarum afflictionum,  
quibus Belgium hodie nimis crudeli-  
ter laceratur ac perditur, pauca de ip-  
sis calamitatibus dicenda existimauimus,  
licet eas esse grauissimas, ac penè in-

B E L G I I .

numeris , omnibus sit notissimum.  
 Quis enim ignorat , quām acerba ,  
 quām horrenda , & inaudita à militi-  
 bus usurpatorum pertulerint Prouin-  
 ciæ Zeelandia , Hollandia , Brabantia ,  
 Geldria , Frisia , & nouissime Mechli-  
 nia ? Quibus contiguæ prouinciæ ac  
 cinitates , licet tam grauia non tule-  
 rint , minimè tamen malorum exper-  
 tes fuere . Quis nescit , quo actum sit  
 modo in prædictis locis cum Sacerdo-  
 tibus , religiosis , & quibuscunque Ca-  
 tholicis ac probis viris , ad vnum om-  
 nibus spoliatis , nudatis , in exilium  
 pulsis , ac crudelissimè afflictis , non-  
 nullis interemptis , coactisue fidem  
 vel dissimulare , vel negare . Quæ nunc  
 oro Reipub. ac religionis Catholicæ  
 in illis prouincijs facies seu vigor ?  
 Quæ in populo non fiunt cædes , rapi-  
 næ , latrocinia ?

*Visitur ex rapto , non hospes ab hospite turus ;  
 Non sacer à genero , fratri , quoq[ue] gratiarara est ,  
 Vitta iacet pietas*

Senses.

Nonne

*Prosperum & felix scelus  
 Virtus vocatur : sentibus parent boni .*

B 3

Ius

## CAVSÆ CALAMITAT.

*Ius est in armis, opprimit leges timor.*

Quid? num confusa, prophanata, atque dispersa omnia? Num templa, monasteria, & alia diuino cultui dedicata loca vel funditus euersa, vel impiè fœdata, per hæreticorum conciones ter execrandas, eorumq; ritus abominandos? Nonne in prædictis Belgij provincijs omne sublatum est gaudium, & spiritualis lætitia? in luctum mutatæ sunt festiuitates, domus præcationum clausæ, altaria subuersa, vel spirituali cultu vacant. Nulli sanè amplius Christianorum cœtus fiunt. Nulla doctorum cernitur præsidentia, cessarunt doctrinæ salutares, cessarunt panegyres, festiui conuentus, & publici, hymnodiae nocturnæ non habentur, neque superest beata illa exultatio, qua Domino credentium animæ in synaxi & communione spiritualium charismatum exhilarantur. Vnde dicere licet, quòd iam neque sit Princeps, neque Propheta, neque Præses, neque oblatio, neq; incensum, neque locus, ubi coram Domi-

Dan. 5.

no

no possit offerri sacrificium , & misericordia acquiri. Et hæc quidem satis præuidebat futura Reuerendissimus Ippensis Episcopus, D. Martinus Rythouius. Quamobrem etiam summopere abhorrebat à bello aduersus Illustriſſ. Principem D. Ioannem Aſtriacum ſuscipiendo . Memini ego Reuerendissimum Dominum reſtentē, quæ in iuſtificatione à Statibus confecta continebantur , ſic reſpondiſſe quatriduo plus minus antequā captiuus à Gāndensibus teneretur : In illa iuſtificatione multa poſſunt ab emulis D. Ioannis Aſtriaci , & ab ini- micis tranquillitatis patriæ falſo eſſe confecta. Quæ autem verā probabantur , ita lìa eſſe negabat, quorum gra- tia bellum ſusciperetur, quo Catholi- ca religio, totaque patria perderetur. Maximè cum Aſtriacus sancte pol- liceretur, ſe iuſtis Statuum petitioni- bus ſatisfacturum, iuſtissimasq; pacis conditiones offerret. Certiſſimas i- tem, eaſque æquissimas belli cauſas eſſe dēbere.

## § CAVSÆ CALAMITAT.

Cæterum istud parergi loco sit dictū, ad scopum redeat oratio. Superius paucis dictum est de calamitatibus, quibus affiguntur Belgicæ prouinciæ, quæ quidem tantæ sunt, ut cogitatione nequaquam comprehendiqueant, nedum verbis exprimi, adeo ut malim lachrymis illas cum Hieremia deplorare, quam atramento describere. Quod tamen mihi scrip-turo, de causis ærumnarum Belgicarum fuit faciendum, neque enim rectè expendi possunt causæ, nisi simul declarentur calamitates, quæ ex illis, tanquam suis fontibus prodierunt. Quod dum passim per singulas sit causas, putavi fore superuacaneum, si hic diutius immorarer illarum enarrationi seu declarationi, maxime cum manifestæ toti sint mundo. Tantum igitur in genere de illis sit dictum. Qui autem singularius eas cognoscere desiderarit, singulas petlegat causas.

*Peccata, Belgarum esse calamitatum generalem causam.*

Ca-

**P**orrò nunc demonstranda est,  
quæ putatur generalis omni-  
um calamitatum causa esse,  
qua perspecta singulares suis locis de-  
clarabuntur. Eam autem esse homi-  
num peccata, neminem sensus in scri-  
pturis habentem exercitatos, qui ig-  
noret existere arbitror. In confessio-  
namque est, Deum primos parentes Gene. 3.  
nostros, ob inobedientiæ peccatum  
paradiso ciectos, laboribus infinitis  
ac morti subiecisse, totumq; mundū  
diluuio, Noë dempto cum sua fami-  
Genes. 6. lia, deleuisse. Videns enim Deus, quod  
multa malitia hominum eslet in ter-  
ra, & cuncta cogitatio cordis intenta  
esset ad malum, omni tempore pœni-  
tuit eum, quod hominem fecisset in  
terra, & tactus dolore cordis intrinse-  
cus, delebo, inquit hominem quem  
creavi à facie terræ, &c. Nulla igitur  
noceret aduersitas (verba sunt D. Gre-  
gorij) si nulla dominaretur iniquitas.  
Miseros (inquit Sapiens) facit homi- Pro. 14. & 5.  
nes peccatū. Et alibi, Iniquitates suæ

## 10 CAVSÆ CALAMITAT.

Psal. 105.

Eccles. 21.

Isaia. 42.

Leuit. 26.

rapiunt impium, & finibus peccatorum suorum constringitur. Et Psalmographus, Irritauerunt Deum in adinuentionibus suis, & multiplicata est in eis ruina. Ecclesiasticus vero,  
Quasi romphæa bis acuta omnis iniqitas, & plague illius non est sanitas. Quid? num peccatorum multitudo, diuinique neglectus timoris, atq; efrenis ad quælibet animus Belgio rōphæa est bis acuta, qua hodie dissecatur, ac tantum non in fauillam redigitur? Vnde quod Isaías de Israelitis, id de Belgis iustè dixero: Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat: in direptionem, nec est qui dicat redde. Quis dedit in direptionem Iacob & Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse cui peccauimus? & noluerunt in vijs eius ambulare, & non audiuimus legem eius, & effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum. Quibus concinunt, quæ in Leuitico disciplinatis minatur Dominus, inquiens: Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed & ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos

vos aduersus incedam , & percutiam  
vos septies propter peccata vestra, in-  
ducamq; super vos gladium, vltorem  
fœderis mei : cumq;ue confugeritis in  
vrbes, mittam pestilentiam in medio  
vestri , & trademini in manibus ho-  
stium , postquam confregero bacu-  
lum panis vestri . His innumeræ aliæ  
suffragantur scripturæ, vt & maledi-  
ctiones , quas per Moysen commina-  
tus est Dominus , ijs qui ipsius vo-  
ci obaudire noluerint . Verum ne in  
re clara prolixiores simus , neue hæc  
putentur veteris esse instrumēti com-  
minationes , nihilque ad filios gratiæ  
pertinere, omissis quæ ex veteri testa-  
mento adhuc poterant adferri pluri-  
ma, primum illud Ch̄risti verbum a-  
pud Lucam expendatur: Putatis (in-  
quit) quod hi Galilæi ( quorum scili-  
cket sanguinem Pilatus miscuerat cum  
sacrificijs eorum ) præ omnibus Gali-  
læis peccatores fuerint, quia talia passi-  
sunt? Non dico vobis , sed nisi pœni-  
tentiam egeritis, omnes similiter per-  
ibitis &c. En Domini verbis significa-  
tur , mortem , quæ omnium cala-  
mita-

12 CAVSÆ CALAMITAT.

mitatum summa est, tanquam poenam peccatorum debitam à Deo immitti, & Deum hic quosdam punire peccatores, ut qui tantum vel plus meruerint, illorum supplicijs erudiatur, ac mature dignam agant poenitentiam, ne simili pereant exemplo.

Luc. 12.

Seruus enim sciens Domini sui volūtatem & non faciens, plagis vapulabit multis.

Rom. 2.

Dicitis suffragatur Apostolus dicens: Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Accedit D. Augustinus sic arguens Iulianum; Poenam vides, cur culpam non agnoscis? non enim iniustus est Deus, qui iram sine culpa inferat.

Prover. 20.

Quis autem nostrum innocens, ut dicere possit, mundus sum à peccato, correptione, curatione, purgatione non indigeo. Itaque cum rarer nunquam extiterit fides, nunquam magis friguerit charitas, minus nunquam fuerit virtutum studium, Dei timor iam penè exularit, sacramenta ab impijs conculcata sint, male audierint sancti, sint contempti sacerdotes, abiecti religiosi, leges iuræq; omnia ces-

se.

serint desiderijs hominum licet iniū-  
stis, omnes quæ sua sunt quærant, Eu-  
angelica libertas facinorūni, sit præ-  
textus, & quasi omnes in peccata con-  
spirarint. Cum inquam terra infecta  
sit (vt loquitur Isaias) ab habitatorib<sup>9</sup> Ez. 24.  
suis, quia transgressi sint leges, muta-  
uerunt ius, dissipauerunt fœdus sem-  
piternū, nihil sanè mirū, si afflictiones  
grauiissimæ Belgas premant. Miran-  
dum potius quod non in furore suo  
nos corripuerit Deus, & vt de Gomor-  
rhæis & Sodomitis semel condignum  
sumpserit supplicium. Reges varijs pu-  
niunt supplicijs, qui suas prævaricati  
sunt leges, grauiusque in eos animad-  
uertunt, qui rei læsæ Maiestatis pro-  
bantur. Et Deus omnis Iustitiæ fons  
& origo, nostram non puniet ingratia-  
tudinem innumeraque peccata, qui-  
bus diuinam eius Maiestatem ad ira-  
cundiam toties prouocamus, & ad  
vindictam quasi cogimus? Prorsus æ-  
quissimum fuit, vt iniustitiæ nostræ  
dedecus iustitiæ suæ decore, peccata  
nostra pro meritis vindicando reparat  
Deus, vel certe Christi vnigeniti  
fui

14 CAVSÆ CALAMITAT.

sui passione intercedente , ea condonaret . Atqui videns Deus Optimus Maximus , indulgentia , qua diu nimis in nos fuerat pro sua bonitate vsus , in propriam perniciem nos abuti , atque inde deteriores effici , iustissimum atq; oportuniſſimum eſſe putauit , commeritas à nobis exigere pœnas . Quemadmodum ergo patér immorigero filio , postquam frequentius indulſit deteriorem indulgentia factum sentiens , tandem acrius flagellat , vt vel sic & patris indulgentiæ beneficium & iniuitatem propriam agnoscat , agnitam oderit , fugiat , detestetur . Sic misericordiarum Deus , cum Belgis iustissime agit , & nihilominus misericorditer , acrius corripiens pluria , eaque abominanda Belgarum peccata , simul & ingratitudinem , qua hucusque diuina abusi sumus beneficentia . Etenim multo tempore non sincere peccatores ex sententia agere , sed statim vltiones adhibere , beneficij magni eſt indicium , teste scripture .

2. Mach. 6.

Hanc

Hanc autem Domini correptionem  
si patienter tulerimus, agnoscentesq;  
peccata propria, ex intimis medullis  
cordium veniam profusis lachrymis  
efflagitauerimus, nostri sanè misere-  
bitur Deus, restituetque proprijs se-  
dibus pulsos, & pristinæ tranquillita-  
ti bellorum turbinibus exagitatos.

Cuius fidem nobis facit liber Iudi- Liber Iu-  
cum, referens saepius Israëlitas in ma- dicum.  
nus crudelissimorum hostium da-  
tos ( vtique merito suorum peccato-  
rum ) & mox iterum vbi ad Domi-  
num clamauerunt creptos de tyran-  
nide hostium, atque libertati restitu-  
tos. Et Valentinianus iunior, quod  
faueret hæresi Arrianorum, nonne à  
Maximo passus est [persecutionem  
grauissimam & ad turpem fugam co-  
actus; Resipiscens vero, & à tyranno  
fuit liberatus, & imperio restitutus.  
Quibus verba Achioris ad Holopher-  
nem non parum suffragantur. Quo- Judith 5.  
ties ( ait ) præter ipsum DEV M su-  
um, alterum coluerunt, dati sunt in  
prædam, & in gladium, & in op-  
pro-

probrium. Quotiescunq; autem pœnituerūt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli, virtutem resisten-  
di. denique Chananaeum Regem &  
Hebusæum, & Pheresæum, & Hethæ-  
um, & Henæum, & Amorrhæum, & o-  
mnes potentes in Hesebon prostra-  
uerunt, & terras eorum & ciuitates  
corum ipsi possederunt, & usquequo  
non peccarent in conspectu Dei sui e-  
rant bona cum illis, Deus enim eorū  
redit iniquitatem. Quid? cum in Bel-  
gio esset unus Deus, una fides, unum  
baptisma, cum Dei timore teneren-  
tur incole, cum succensi charitate Dei  
ac proximi arderent, cum maius es-  
set studium salutis animæ, quam tem-  
poralium acquirendoruni, Nonne bo-  
nis omnibus abundabat? Nonne erat  
commendabilis apud omnes natio-  
nes? Nonne cum florentissimis toti-  
us mundi prouincijs comparari pote-  
rat? At nunc postquam Deum pecca-  
tis aduersum se prouocauit, facti sunt  
hostes eius, ( vt loquitur Ieremias ) in  
capite inimici eius locupletati sunt.  
Quia Dominus locutus est super eam

pro-

propter multitudinē iniquitatū' eius.  
Propter peccata nostra ( ait Propheta  
Daniel) & propter transgressiones pa-  
trū nostrorū, Ierusalem & populus tu-  
us omnib. vicinis opprobrio sunt. Sic  
ut itaque olim diuitias misericordiæ  
suæ nobis exhibuit Deus: Ita nūc exi-  
gētibus peccatis nostris, diuitias iusti-  
tiæ suæ misericordia tamē attēperatæ  
nobis propinat, quatenus vrgentibus  
afflictionibus, ad illum supplices ac  
pœnitentes confugiendo rigorem di-  
uini iudicij, in posterum effugere va-  
leamus. Hæc impreseñiarum dē ge-  
nerali afflictionum causa sufficiant,  
quam vtiq; euidentiorem facient, que  
infra de luxu ac fastu , alijsq; Belgarū  
peccatis adferentur.

Oportunum iam esse videtur , vt  
particulares miseriarium Belgicarum  
causas perscrutemur. Et primum qui-  
dem quas imperitum vulgus, parum  
quidem veras, ne dicam falsas, tum af-  
flictionum, tum etiam peccatorum  
suorum prætexit. Deinde proferemus  
in medium , quæ imaginem veritaris  
præse ferunt , atque ob rē in ore pru-

C den-

dentum sint sæpius. Demum quàm optimo iure quilibet, omnium calamitatum propriam & capitalem esse causam statuere debeat, adiuuâte Deo explicabimus.

*Astris non esse ascribenda Belgarum peccata, nedum calamitates. Cap. IIII.*

**N**O N desunt, qui hominum malicias ex ipsis considerantes afflictionibus varijsque pressuris, quas se vel suos proximos pati cernunt, astris illas, influentijsque cœlestibus, tribuere non verentur, vanis indubie persuasi, aut colloquijs, aut libellis eorum, qui ut admirationi sunt vulgo, nihil aliud somniant, scribunt, loquuntur, quàm de cōstellationibus ac earum virtutibus. Taceo quòd eo prætextu quidam sua in Deum transferre peccata, aut ea extenuare nitantur. Quod quàm imperitè & impie faciant, D E O donante sic ostendere conabimur, ut simul opinio,

quæ

quæ plurimum hodie apud rudiores  
inuoluit , conuellatur , & extirpetur  
funditus. Atqui primum vnde pecca-  
ta originem in hominibus sumant vi-  
deamus. Sane nulla re, nisi voluntate  
propria (teste Diuo Augustino) fit ani-  
ma libidinis aliorum tunc peccatorum<sup>1.</sup>  
serua. Vnde peccatum definit, volun-  
tatem esse retinendi vel consequendi,  
quod iustitia vetat , & vnde liberum  
est abstinere. Quod adeo afferit esse  
voluntarium malum, ut nullo modo  
id dicat peccatum, quod non est vo-  
luntarium. Cuius sententiam sacris  
respondere scripturis , ut quæ passim  
noui & veteris instrumenti libros  
reuoluentibus obuiæ sint, planæ su-  
peruacaneum fore, multis compro-  
bare. Notum quippe est illud ad Caim  
Domini verbum, Nonnesi bene ege-  
ris recipies? sin autem male statim in  
foribus peccatum tuum aderit. Et sub  
te erit appetitus tuus, & tu dominabe  
ris illius. Et apud Psalmistam ait: In-  
tellectum tibi dabo, & instruam te in  
via hac, &c. Nolite fieri sicut equus &  
mulus, quibus non est intellectus. His

Genes. 4.

Psal. 31.

## 20 CAVSÆ CALAMITAT.

Eccl. 18.

quam optimè respondent Sapientis  
verba. Deus (inquit) ab initio consti-  
tuit hominem, & reliquit in manu  
consilij sui, adiecit mandata & præce-  
pta, si volueris mandata conseruare,  
conseruabunt te: Apposui tibi aquam  
& ignem, ad quodcunque volueris,  
porrige manum tuam. Ante hominē  
vita & mors, bonum & malū, quod-  
cunque placuerit ei dabitur illi. Ne-  
mini mandauit Deus impiè agere, &  
nemini spacium peccandi dedit. Non  
enim concupiscit multitudinem fili-  
orum infidelium & mutilium. Mille  
sunt eiusdem argumenti scripturæ.  
Cum vero à voluntate hominis sit  
peccatum, nec aliunde esse possit, in-  
eptissime profecto astris, seu influen-  
tijs cœlestibus ascribitur, quarum ali-  
as aiunt homini beneficas, alias verò  
noxias. Quod quid aliud est dicere,  
quàm hominem non per liberam pec-  
care voluntatem? Id qui asserit, non  
solum negat hominem vnquam pec-  
care (sicut enim mereri absque volun-  
tate nemo potest, ita nec demereri)  
sed & Deum astrorum conditorem

co-

corundemque virtutum astruit au-  
thorem esse peccatorum. Qui enim  
est causa ( inquit Philosophus ) causæ  
est causati causa. Si Deus sydera con-  
didit, eaque hominibus sint nocua,  
vtiq; nocimenti ac maliciæ eorum,  
( quippe cum inanimata sint, & liberè  
nihil agant ) author merito dicitur.  
Verum id de fonte omnis boni, ex  
quo cum dulci amara aqua ( Diuo Ia- Iaco. 1.  
cobo teste ) nequit emanare, credere  
esset maxime impium, vti fides Catho-  
lica pariterque sacra scriptura nos a-  
pertissimè docent. Vedit Deus ( habet  
Genesis, ) cuncta quæ fecerat, & erant  
valde bona. Quomodo quæso bona  
sunt, quæ homines ad peccandum vel  
disponunt, vel inclinant, vel pertra-  
hunt? Quæ si quis hominum alteri  
faceret, meritò peccati illius author  
censeretur, eamque ob rem iustè pœ-  
nas lueret. Proinde cum perspicuum  
sit astra esse rationis expertia, vtiq; nec  
peccatis, nec pœnis obnoxia esse pos-  
sunt: Sed id totum in Deum illorum  
conditorē foret transferendum. A qua  
C 3 sen-

## 22 CAVSÆ CALAMITAT.

sententia nos deterret docto carmine  
D. Prosper dicens :

De Prouid. *Si quid obest virtuti, animosq; retardat,*  
post medi- *Non superi pariunt ignis, nec ab aetherem manat,*  
um. *Sed nostru oritur de cordibus, ipsaq; bellum*  
*Libertas mouet, & quatimur ciuilibus armis.*

Hier. 10. Quibus non modo à Deo & syde-  
ribus causa nostrorum peccatorum  
remoueretur, sed ascribitur, cui ascribi  
debere ostendimus, scilicet propriæ  
voluntatis libertati. Præterea nos ad-  
monet Dominus per Hieremiam, di-  
cens : Iuxta vias gentium nolite disce-  
re, & à signis cœli nolite metuere, que  
timent gentes. Quia leges popolorū  
vanæ sunt. Eſſet autem vnde à signis  
cœli metueremus, si astra nos ad pec-  
catum lege diuina nobis prohibitum  
inclinant. Quod vtique docuerunt  
Gentiles, quorum sententiam prædi-  
ctis reprobat Deus. Odio insuper est  
Prouer. 14. Deo impius, & impietas eius. At nihil  
Sap. 11. Deus odit teste scriptura eorum quæ  
fecit. Quare impiè nimis contendūt,  
Deum cooperari ad malum virtuti-  
bus astrorum à se conditorum. Dein-  
de nunquid iniustum videbitur iudi-  
cium

cium Dei, si hominem ad æternas, e-  
alque maximè horrendas damnauc-  
rit pœnas, ob peccata quæ cogentibus  
vel etiam inclinantibus astris per-  
trauerit? Neque enim eius voluntati  
(cuius signum foret virtus ad peccata  
inclinans, ab illo astris concreata) resi-  
stere fas est. Prætor si per satellites su-  
os aliquem ad furtæ coëgisset, vel pel-  
lectum ad eadem perduxisset, iniusti-  
tiæ damnaretur, si illorum gratia fu-  
rem ad supplicium exigeret: Et iusti-  
tiæ ascriberetur, si Deus homines per  
astra ad peccandum impellens vel in-  
clinans (quod plus habet efficaciam  
quam pelliciens) supplicijs æternis cō-  
demnaret. Adhæc si ad sydereas influ-  
entias, & non ad solam nostræ volun-  
tatis libertatem actus nostri factaque  
referantur: cur leges positæ sunt hu-  
manæ, aut iura ciuilia promulgata?  
quibus vel pœna improbis decerni-  
tur vel probis stabilitur securitas. Cur  
(inquit D. Ambrosius) venia reis non  
datur, cum vtique non sua volunta-  
te (vt illi volunt) sed fatali necessitate  
deliquerint. Prorsus maxime deflen-

Lib. 4. He-  
xam. ca. 4.

dum est, quosdam ad tantam impietatem hac tempestate dilapsos, vt non tantum propria & aliena excusare peccata, sed illa mediantibus creaturis, in D E V M transferre non vereantur: Non sunt profecto astra à DEO condita, vt homines ad peccata pertrahant vel inclinent, sed vt per illa Deus laudetur ac magnificetur, vtque homini (teste Moyse) ministerium suum præstent. Examinentur nonnihil verba, quibus usus legitur D E V S cum astra & sydera omnia crearet, & luce meridiana erit clarius, quo fine ea condiderit. Fiant (inquit) luminaria in firmamento coeli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora & dies & annos & luceant in firmamento coeli, & illuminent terram. Quid hic quæso profertur, vnde probari queat, sydera in hominum voluntates age, vel eorum libertatem minuere inclinando. Impia ergo sit oportet vox eorum, qui cum aliquid mali perpetrant vel patiuntur, aiunt: Talcum

Deut. 4.

Genesi

um est fatum, vel talia sunt huius temporis astra. A quibus etiam originem sumpsisse videtur illud frequens in ore & scriptis multorum gallica ventionum lingua: *C'est un grand desastre, Tel est nostre desastre.* Quasi vero iniquitas temporum, atque facinorum prodiret penderetiae ab astris, & non ex meritis peccatorum, & prava hominum voluntate. Cæterum de his pro instituto plus satis. Iam de signis cœlestibus, quæ præter consuetum naturæ ordinem accidunt, & Deus frequentius præmittere solet, quando populum aliquem grauius punire decreuit, nō nihil est differendum! Sunt etenim quidā adeo iudicij expertes, ut ab illis suas miserias, afflictiones, que prouenire autument. Enimvero D E V S nolens mortem peccatorum ( pro quibus morti vnigenitum suum tradidit ) sed magis ut conuertantur, & viuāt. In peccato obduratis suæ iræ propediem deservituræ sèpius nuntios præmittere solet, nimirum ut maturè resipiscant, quo imminentē

D. August,  
de ciuitate  
Dei.

C. 5 Dei

Dei iram effugere queant. Exemplo nobis sunt sanguis cum lacte, quæ pluit, cum Alaricus Gothorum Rex Romanum depopularetur. Et visæ in coelo acies inter se dimicantes, quas Diuus Gregorius suo tempore, ante quam Italia Longobardorum traderetur gladio ferienda, apparuisse afferit. Anno autem 1538. in multis Germaniæ locis homines armati in aëre vissi sunt, & in usitatæ magnitudinis stella, quæ cruentos spargebat radios, & iuxta illam crux sanguinolenta, cum vexillo per aëra volutante. In libro autem Machabæorum legimus per vniuersam Hierosolymorum ciuitatem viros diebus quadraginta equites per aëra discurrentes, deauratas habentes stolas & hastas, & quasi cohortes armatas, & cursus equorum per ordinem digestos, & congreßionem fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorū multitudinem gladijs districtis, ac telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loriarum: Quapropter omnes in bonū monstra conuerti rogarunt, O si Belgium,

gium, vidēs signa, quæ in Brabantia, Flandria, Hollandia, Zealandia, inusitata, tum in cœlo, tum in terra continguerunt, tempus visitationis suę cognoscisset, & Iudæorum exempla sequens in bonum illa conuciti assiduis Deum precibus rogasset. Has si coniunxisset pœnitentiæ operibus, indubie Deus vt olim Niniuitis, quam primū propitius illi factus fuisset. Vedit (inquit Ionas) opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malicia quam locutus fuerat, vt faceret eis & non fecit. Quemadmodum igitur pater peccanti filio manu extenta, vel virgis ostensis minatur, vt à prauis desiderijs & moribus eum reuocet: Sic & Deus signis quibusdam in cœlo vel in terra extra consuetum ordinem naturæ ostensis, à sceleribus nos deterret, & vindicta de illis, nisi vera pœnitentiā prius extirpentur, se sumpturum grauissimā minatur. Tantum abest, vt hominum malicijs per illa cooperari velit. Cometa ergo seu stella crinita, quæ ante biennium in hisce inferioribus prouin-

## 28 CAVSÆ CALAMITAT.

uincijs apparuit & acies, aliaque non  
pauca cœlestia signa, à Belgis visa, præ  
fagia tantum erant granissimorum,  
cheu, malorum quæ patimur, non au-  
tem virtutes quæ incolarum ingenia  
ad malum alioqui proclivissima at-  
que pronissima magis inclinarent, vel  
quibus deteriora efficerentur. Desi-  
nant proinde dictum Cometam, di-  
cere causam esse suorum peccatorū,  
& octo annorū illi tribuere domina-  
tum. Quod est Deum huius maliciæ  
facere authorem, & populum qui iu-  
stissimi iudicis iram commeruit, ab v-  
tilissimo reuocare pœnitentia reme-  
dio. Ut quid enim pœniteat, si Come-  
tæ peccata & afflictiones ascribi debe-  
ant: sitq; octennio, vt volunt, suos ma-  
liciæ effectus in Belgio pariturus. O  
partū ridiculum ac prodigiosum, cu-  
ius parturitioni, octennij spacium a-  
scribitur. Num & Cometæ qui anno  
superiori mense octobri apparuit, op-  
timi scilicet rerum æstimatores, parē  
dominationem ascrivent? Sed valeat  
huiusmodi somnia. Nemoq; dicat cū  
tentatur, quoniam à Deo tentatur:

Deus

Deus enim intentator est malorum: <sup>Iacob. 1.</sup>  
ipse autem neminem tentat.

## *De inquisitione Hispanica.*

### *Cap. V.*

**S**icut toto errant cœlo , qui astris afflictionum suarum , ad eoq; peccatorum causam ascribunt: ita & qui Hispanicæ inquisitioni turbas tribuunt, quibus hodie Belgium concutitur , præsertim cum falso sibi persuaserint, illam à Regia Majestate his regionibus introducendā fuisse. Siquidem in confessio est, Regem nostrum lōgè clementissimum, paulò antè quam audisset in Belgio cieri turbas , nobiliumque quorundam conspirationes, aduersus dictam inquisitionem , quam vt populum facilius ad seditionem pertraherent, innumeris mendacijs onerabant , tanquam quæ diuinis humanisque legibus aduersaretur , & à recta ratione maximè esset aliena : Regem , inquam, ad Illustrissimam Gubernatricem Ducissam de Parmes misisse literas , quibus mandabat vti edicta

Vide com-  
mentarios  
Surij.

piæ memoriæ Imperatoris Caroli V.  
patris sui fœlicissimæ memoriæ dili-  
gentiùs obseruarentur : simul etiam  
Concilij Tridentini decreta cum nō-  
nullis articulis ad officia pastorum &  
suum subditorum salutem spectan-  
tibus. Quinimò tantæ clementiæ fuit  
Rex, vt audiens tumultus Belgicos,  
contentus fuisse prædicetur, vti alia  
contra hæreticos procedendi forma,  
ab ipsis met Belgis institueretur, dum-  
modo tamen fieret, vt hæreticorum  
refrenaretur audacia, & non nimia in-  
dulgentia multiplicarentur. Qua Re-  
gis humanitate oblata, statim videre  
licuit, quo affectu confœderati ad-  
uersus Hispamicam inquisitionē con-  
spirassent, nempe non quod eam in-  
troducendam, vel noxiā patriæ fu-  
turam crederent, sed quod illius ti-  
more commotum iri populum spe-  
rarent, quo facto futurum, vti abroga-  
tio cuiuslibet inquisitionis peteretur,  
quin & legum omnium, quibus hære-  
tici refrenabantur, & quicunque ad  
seditiones Belgæ propendebant. Cu-  
jus desiderij simul atque supplicibus

libellis ac minacibus armis voti compotes fuerunt. Deus bone: quanto perre in Belgio Zizania creuerunt? Quam fœde Resp. ibidem dissecta est? Quot suscitatae seditiones aduersus Senatum? Quot, quantisq; calamitabibus ad vnum omnes attriti sumus? Itaque inquisitionum ac legum abrogatio, causa exstitit miseriarum, quibus nostro saeculo tam deploratè oppressa iacet patria, non autem Hispanica inquisitio, quam falso iactabant à Rege constitutam atque præscriptam. Cui etiam tyrannidis nomen perperam imponebant. Quod vt minime de ea credamus, tum Regis nostri summa clementia, tum totius regni Hispaniarum eiusdem inquisitionis approbatio nobis sufficere deberet. Multo vero maximè, quod uberrimum fructū vbi eius obtinuit usus, inde prodijse ad oculum videamus. Nunquid dictū regnum, aliaq; in quibus viget, per illam ab hæresibus, ac plurimis malis quæ ex ijs prodeūt, vt furtis, rapinis, latrocinijs, homicidijs, periurijs, seditionibus, bellis intestinis, alijsque innu-

me-

32 CAVSÆ CALAMITAT.  
meris, quæ in Belgio per illas frequen-  
tantur, libera esse cernuntur? Sicut cō-  
tra, quæ inquisitionum aduersus hæ-  
reticos abicere vsum, vt Belgium fe-  
cisse sero lugemus, fœdissime illis cō-  
spurcari, dilaniari, ac consumi. Quæ  
quidem ab hæreticis fuisse expectan-  
da scriptura docet, cùm hæresim le-  
præ, ea verò, pesti comparat, quæ nisi  
remedio compescantur efficaci, cre-  
scunt semper ac dilatantur, nec vñquā  
desinunt, donec omne bonum natu-  
ræ corruperint, Quod & hæresi cōstat  
commune esse, quando scilicet grassa-  
ri permittitur. Hæreticos item lupis,  
furibus, atque latronibus scriptura  
comparat, vt ex illorum natura, hære-  
ticorum ingenia nosse discamus, neq;  
minus cautè horum fugiamus, quām  
illorum confortium: Quibus quan-  
docunque ex animi sententia libertas  
datur, quid non corrumpunt, dilani-  
ant, perdunt? Quapropter eos, qui in-  
quisitionum aduersus hæreticos abro-  
gationem procurarunt, aut hæresis  
morbo fuisse infectos, aut corum e-  
gregios fautores, atque etiam pluri-  
mum

mum laborasse ad Belgij subuersio-  
nem, grauissima totius patriæ ruina  
clamat. Certè quaniprimum leges in-  
quisitionum cessarunt, experientia i-  
psa didicimus, quām sint vera hæc  
D. Augustini verba: Remota iustitia,  
quid sunt regna, nisi magna latroci-  
nia? Et illa Scenecæ: Regna cum scelere  
omnibus exilijs sunt grauiora. Talia  
præsciens D. Paulus, non parum fuisse  
follicitus legitur, ut inquisitione facta  
cognosceret, quinam discipulorum à  
fide semel accepta resilirent, 'camque  
sceleribus enormibus dehonestarent.  
Quos deprehendens ut posteris essent  
exemplo, grauissimè in eos animad-  
uerterebat. Argumento sunt Hymenæ-  
us & Alexander, quos Sathanæ com- Timoth. L.  
misit, ut non esse blasphemandum,  
proprio discerēt damno. Et fornicari-  
us ille Corinthius, similiter humani Coriat. 5.  
generis inimico traditus, ut spiritus in  
die Domini saluaretur: Similia Corin-  
thijs spiritu inflatis aduersus veritatē,  
idem disertis verbis comminatur. Tā- 1. Corin. 4.  
quam (inquit) non venturus sim ad  
vos, sic inflati sunt quidam: Veniam

## 34 CAVSÆ CALAMITAT.

autem ad vos cito, si Dominus voluerit, & cognoscam, non sermonem corum qui inflati sunt, sed virtutem.

Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

**Cor. 12. 13.** Et alibi, Timeo (inquit) ne forte cum venero, non quales volo vos inueniam, & inueniar a vobis, non qualem vultis. Et capite sequenti: Hæc scribo, ne cum præsens fuero, durius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus in ædificationem. Quid quæso aliud olim inquisitionibus agebatur, quam quod hic se aucturum, Apostolus minatur, nimirum, ut qui aduersus Ecclesiam inflati erant, agnoscerentur, & cogniti dignas poenas darent. Plura in hanc sententiam adferri possent, sed foret superuacaneum, ut quod cuique ratione utenti sit persuasum, & utilissime & iustissime inquiri aduersus hæreticos Deo refractarios, & Reip. pestes nocetissimas. Nullum siquidem legibus inquisitionum efficacius constat esse medium, ad refrenandos animos ad hæresim, & seditiones mouendas propensas.

pensos, expurgandām ue regionem, in  
qua iam radices agere cōperunt. Hi-  
ce enim ac similibus rationibus, fuit  
adductus fœlicissimæ memoriae Caro-  
lus V. Romanorum Imperator, vt in  
suo Belgio hæreticorum inquisitores  
institueret. In Ecclesia verò, aduersus  
quoscunque hæreticos fuisse statuta,  
etiam ante mille annos, euincunt le-  
ges Cōstantini Magni, Theodosij ma-  
ioris, Arcadij, Honorij, & Theodosij  
iunioris, aliorumq; plurimorum Im-  
peratorum. Tum etiam Rex Nabu-  
chodonosor, legitur mortem indixi-  
se blasphemanti, Deum temperatore ignium. Porro illorum leges, nō mo-  
do Catholicis fuisse vtiles, sed etiam  
hæreticis, experientia doctus Diuus  
Augustinus testatum nobis reliquit, Epist. 50. ad  
sic dices: Propter misericordiam Chri- Bonifaciū.  
sti magis pro eis (intellige hæreticos)  
sunt istæ leges, quæ illis videntur ad-  
uersæ, quoniā per illas multi correcti  
sunt, & quotidie corriguntur: & se esse  
correctos, & ab illa furiosa pernicie li-  
beratos gratias agūt, & quos oderant

diligunt, molestasq; sibi fuisse saluberrimas leges, quantum insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulabantur. Et infra: Vnde magna in eos fit misericordia, cum etiam per istas Imperatorum leges, ab illa secta prius eripiuntur inuiti, ut in Catholica postea bonis præceptis, & moribus sanentur assueti. Nam multi eorum, quorum iam in unitate Christi, pium Christi seruorem charitatemq; miramur, cum magna lætitia gratias agunt, quod illo errore caruerunt, vbi mala ista bona putauerunt. Quas gratias modo volentes non agerent, nisi prius etiam nolentes, ab illa nefaria societate discederent. Quid de illis dicemus, qui nobis quotidiè confitentur, quod etiam olim volebant esse Catholici, sed inter eos habitabant, inter quos, id quod volebant, esse nō poterant, propter infirmitatem timoris? Vbi si verbum pro Catholica dicerent, & ipsi & domus eorum funditus euenterentur. Quis est tam demens, qui negat istis debuisse per iussa imperialia subueniri, vt de tanto cruerentur

tur malo? Dum illi quos timebant timere coguntur, & eodem timore etiam ipsi corriguntur: aut certe cum esse correctos, se configunt, correctis parcunt, à quibus antea timebantur. Hæc ille: Quæ quidem à me latius citata sunt, quod magna autoritate probent, & legum in hæreticos antiquitatem, & simul [earum] multiplicē insinuent utilitatem. Vnde intelligi facile potest, decreta de inquirēdis in Belgio hæreticis fuisse bona & sancta. Tantum abest, ut causæ malorum Belgicorum dici debeant, & hac ratione fuerunt abolenda. Enim uero quomo<sup>do</sup> Reges Persarum, Cyrum & Dari<sup>um</sup> Iudeis fauere, decretaque pro ijs sanxisse videntes, Samaritani (qui ædificationem templi, prius impedierat) illico cōuersi sunt, & operi domus Domini Israel auxilio fuerunt. Ita hæretici sentientes Reges sibi aduersos, fauere autem Catholicis, facilè adducuntur, vt sese his adiungant, ac tandem eis similes efficiantur. Tantum habet efficaciæ statuta Principum, in Catholicorum fauorem promulgata; subla-

1. Ed. 4.

## 58 CAVSÆ CALAMITAT.

ta vero statim hæreticorum, cætero-  
rumq; carnalium animos plurimum  
mouent, ad quiduis in Catholicorum  
iniuriam & oppressionem audendū.  
Prorsus quam efferatus eorum fuerit  
animus, qui inquisitionum leges ma-  
ledictis lacrare, & donec abolerētur  
tumultuari non desierunt, luce meri-  
diana clarius illis sublatis apparuit, vt  
qui tū præcipites in omne genus pro-  
ruerint vitiorū, adeo, vt & in hæresim  
cateruatim prolaberentur, prolapsi  
Catholicos omnes crudelissime oppri-  
merent. Sicut ergo indomiti equi mo-  
dico freno ad sefforis arbitrium ducū-  
tur, & iuxta D. Iacobum: Magnæ na-  
ues etiam, cum à ventis validis minen-  
tur, à modico gubernaculo circunfe-  
runtur, vbi impetus voluerit dirigen-  
tis. Ita obseruatis inuiolabiliter man-  
datis in hæreticos Imperatorum, faci-  
lè corruptissimorum hominū animi  
continentur. cum charitatem timo-  
re introducente haustum venenū illi  
tandē euomere coguntur. Etenim sic  
ut animæ beneficio corpus mouetur,  
qua destitutum, statim dissoluitur. Sic  
fanc

sane iustitiae legib. Resp. florescit, quæ  
si tollantur, exerceantur ut remissius,  
illoco cōcidit. Quapropter iniuite hi-  
mis, calumniam sustinent Catholici  
(apud quos solū est veritas, cui ancilla-  
ri debet omnis potestas) quod de hære-  
ticis iustitiae ac veritatis hostib<sup>9</sup>, inqui-  
sitionem faciat: Cum etiam ipsi Gen-  
tiles & Iudei similibus vni sint legibus,  
imò & contra Catholicæ religionis  
cultores: Namq; D. Paulum, ante con-  
uersionem suam crudelissimum fuisse  
Catholicorum inquisitorem, ipse met  
locis plurimi testatur. Et Plinius Se-  
cundus refert, Imperatorem Traianū  
occasione boni testimonij de Catho-  
licis, quod Imperatori indicauerat, sā-  
xisse, vti deinceps non inquirerentur  
Christiani, sed tantū oblati punirentur.  
Quid? Nōne & in Belgio grassantes hæ-  
retici, exēplo Gentiliū & Iudeorū cō-  
tra oēs p̄bos & Catholicos inquisiti-  
onū vtūtur legibus? Quid dico legib<sup>9</sup>?  
Cū grauissimis multis ac supplicijs v-  
tatur, anteq; vllæ sint latæ leges. Alios  
enim Senatu, & qbuscūq; dignitatib.  
beneficijs ac officijs priuāt. Alios plu-  
rimos exedēdos ac spoliādos militib.

Act. 22.9.

## 40 CAVSÆ CALAMITAT.

tradunt . Alios à patria & proprijs sedibus ablegant, & ad exilium cogunt. Alios mendacijs perniciosis onerant, ac fraudibus circumueniunt, vt iuste illos oppressisse videantur . Alios crudelissimè cruciandos, in carceres coniiciunt. Alios denique tanquam læsæ Maiestatis reos, quod illi patriam vel ciuitatem aliquam reddere conati sint, inhumaniter extremis afficere supplicijs non verentur. Possent hic plura hæreticorum ( libenter enim similis farinæ sectarios sustinent) in solo Christianæ professionis, veros cultores crudelitatis adduci facinora: Sed isthæc sufficient, vt quilibet perspiciat, quam impiè nos, quod Imperatorum decretis utamur, ad effrenos animorum illorū impetus refrenādos accusent, qui tāto mentis furore aguntur, vt sua barbara instituta expectare nequeant, sed ea præuenientes horrendum in modum, pro sua libidine in nos debacchentur ac sœuant. Itaque ut his finem imponamus, cùm ( teste D. Paulo) lex sancta sit, nec iusto posita, sed iniustis & non subditis, impijs

ac peccatoribus, sceleratis, mendaci-  
bus, periuris, & si quid aliud sanæ do-  
ctrinæ aduersatur, omnibus satagen-  
dum est modis, ut leges restituantur,  
restitutæ seruentur, seruatae charitati  
fraternæ seruant. In pace (hęc legibus  
stabilitur) Deus nos vocavit. Et Apo-  
stolus vult nos, sine sollicitudine esse  
iustis ergo legibus satagatur, quatenus  
Catholici in pace degant, & à sol-  
licitante eorum animos, timore gra-  
fantium hæreticorum eripiātur. Quo  
fiet ut utriusque (sicut docet D. Augu-  
stinus) quam optimè consulatur.

<sup>1. Cor. 7.</sup>

## *De Insolentia militum Hispanorum quid sentiendum.*

### *Cap. VI.*

**Q**VO malevolentiae spiritu con-  
foederati, & qui eorum adhæsere  
factionibus, inquisitionem Hispani-  
cam traduxerunt. Eodem prorsus cū  
illis nōnulli Hispanum militem à sua  
Majestate in Belgium missum, accu-  
sant atque dominant, tanquam qui

D 5 sua

## 42 CAVSÆ CALAMITAT.

sua insolentia, & inauditis facinoribus, turbarum quæ ab ipsorum contige readuentu, soli fuerint authores. Neque enim audent omnes seditiones in eos transferre, vtpote quod nonnullas contigisse, priusquam aduentas sent, exploratum habeant. Evidem quorundam Hispanorum insolentiam excusare, nec volo, nec possum. Non enim sum nescius, milites penè omnes effreni solere esse animo, Etni illud vulgare dictum, Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur. Quod maximè in eos cadit, qui multis clari sunt victorijs ( soleat enim victoriæ animos addere victoribus, ad eoque ijs omnem adimere metum ) & qui solo natali relictio in exteris agunt prouincijs. Arbitrantur forsitan se aliarum prouinciarum incolis timori non futuros, & haudquam fortitudinis militaris adepturos gloriam, nisi illos fortiter concutiant, vim eis inferant, innocentes calumnientur, ac demum pro libitu aliena rapiant. Quod præuidisse D. Ioannem Baptistam, ex præceptis quæ eis tradit est clarissimum.

Ne-

Neminem (inquit) concuciatis, neque Luc. calumniam faciatis, & cōtentи estote stipendijs vestris. Ut autem Hispani quidam ista liberius patrarēt, stimulos eis addebat, quod scirent se à Rege ad hæreticos (quorum magna in Belgio colluicies erat) esse missos, & quod viderent se ab incolis odio maximo haberi. His incitati, qui nullo Dei retinebātur timore, arbitrati sunt sibi omnia esse licita, vleisci, spoliare, rapere, & quæ solent hostibus perduellibus & hæreticis (libenter enim Belgas omnes tales esse, sibi persuadebant) animo penè hostili inferre. Quis sanæ mētis, hec in ijs qui talia sunt ausi excuset, & nō potius abominetur, damnet, ac omni supplicio digna iudicet? Verum cum indulgentissima p̄sentis s̄eculi, & pñctiosissima libertas, in aliarum nationum militibus huiusmodi toleret, atque adeo in ipsis etiam Belgis, (qui quantum patriæ plus debent, tanto minus talia aduersus eam audere, eos conuenit) utique & in Hispano milite toleranda erant, cum à Regia Maiestate, cui Belgæ omnem debent

## 44 CAVSÆ CALAMITAT.

reuerentiam, amorem, & obedientiam missus esse cognosceretur, Regiq; ingratum, quicquid aduersus illos eo inconsulto tentaretur. Quæso, Nunquid illicitum est postposita Regis seu iudicis proprij sententia, quod ipsi ingratum præsupponitur futurum, propria aggredi authoritate. Ad hæc tolerandos fuisse illos euincunt calamitates, quibus afflictum est Belgium, postquam aduersus eos intestinum bellum est suscepsum. Quod merito dixeris ferreum fuisse rastrum, omnia patriæ bona exterminans, atque in eam cuncta congregans mala. Deinde num præstitisset, dictos milites vsque ad Regis reuocationem retinuisse, quam ad illorum electionem aduocasse milites, qui in Hollandia & Zeelandia tam inaudita recenti memoria facinora fecerant. Illisque grauiora perpetraturi erant in prouincijs, quæ cis fuerant inimicæ, & acerrimè illos paulò antè oppreßerant. Quod ab eis fuisse expectadum facile præuidissent, qui tunc patriæ gubernacula moderabantur, nisi odium Hispаниç nationis

nisi eos obcœcasset, & mens minuscō-  
scia recti extimulasset. Quare si cum  
ijs, quæ Hispani in quibusdam locis  
commisere, causisque eos mouentib.  
ad illa perpetranda, cōsyderentur: que  
sequuta sunt, bellum per nonnullos  
patrię moderatores suscepimus: & quę  
Geuzij (hoc enim nomine seipso appellant) milites ad patriæ defensionē,  
ut aiebant, à Belgis aduocati commis-  
serunt, omnibus istis malis ansam de-  
diffe, verius dicentur, qui bellum intē-  
stinum hoc suscitarunt, quique Geu-  
zium militem in patriæ viscera crude-  
lissimè grassaturum, ad sui tuitionem  
admiscerunt, illumq; introduxerunt.  
Quin & iudicabuntur teneri ad resti-  
tutionem omnium, quæ iniquè sunt  
gesta, Iuxta illud, Qui occasionem  
dedit damni, damnum dedisse censem  
dus est. Lugeant proinde, qui tanta-  
rum, quibus patria iacet oppressa affi-  
ctionum occasionem se dedidisse sen-  
tiunt, eorum auxilia expetentes, qui  
ad patriæ perditionem toti anhela-  
bant, quosūt à sententia pacis amor  
minimè reuocauit. Nec periculum  
quod

1. qui occa-  
sionem ff.  
de Reg. Iu-  
ris.

## 46 CAVSÆ CALAMITAT.

quod ab hæreticis in patriam, recens per pacificationem Gandensem admissis, ipsi patriæ imminebat. Quos aduersus Catholicam religionem nihil non tentaturos, præsertim fretos eiusdem farinæ militibus, fuit indubiè mente obcoecatus, qui non præuidit. Et nimis pestiferæ affectionis vel zeli, qui calamitatibus quas ituecturi erant, occurrere nolint. Quæ si penitus considerare voluerimus, inquisimmo simus iudices necesse est, si Hispanis militibus strenuissimis, fideique propugnatoribus, Geuzium militem patriæ pestem prætulerimus. Magnus ille Propheta Dauid hominem pessimum, & maximè impium homicidā Ioab militiæ Principem, quod sibi & regno esset utilis, toto vitæ suæ tempore tolerauit. Et ab exteris militibus Belgas nihil libuit tolerare, maxime cum scirent, omnibus commune esse militibus, insolētiam ac proteruiam, ut verissime de ijs Lucanus scripserit.

*Non metuant leges, nec cedunt viribus æquum,  
Victag[us] pugnaci iura subense iacent.*

Vtinam vcl sero tandem, & militū  
be

b. Reg. 2.

Inhumanitatem , & reliquias omnes  
nostris facili aduersitates peccatis no-  
stris ascriberemus : Præsertim cum  
non ignoremus , non raro humani  
generis peccata huiusmodi medijs  
Deum punire. Quemadmodum ob il-  
la ipsa frequentius constat, Israelitas  
modo ab Amorræis, modo à Philistæ-  
is, modo à Syrijs, cæterisq; viciniis na-  
tionib<sup>z</sup>, captiuitate afflictos fuisse gra-  
uissima. Cuius etiam Dei verba cui-  
dentissimè fidem nobis faiunt. Si ( in-  
quit ) dereliquerint filij eius legem Psal:82.  
meam, & in iudicijs meis non ambu-  
lauerint , si iusticias meas prophana-  
uerint , & mandata mea non custodi-  
erint, visitabo in virga iniquitates eo-  
rum. Et rursus apud Hieremiam : Ec-  
ce ego adducam super vos gentem  
de longinquo domus Israël ( ait Do-  
minus ) gentem robustam , gen-  
tem antiquam , gentem cuius igno-  
rabis linguam , nec intelliges quid  
loquatur. Pharetra eius , quasi se-  
pulchrum patens , vniuersi fortis.  
Et commedet segetes tuas , & pa-  
nem tuum, & deuorabit filios tuos ,  
Lib. Iudie.  
& Regum,  
Jerem. 5.  
&

& filias tuas , & comedet gregem tuū  
& armenta tua , & comedet vineam &  
ficum tuam , & conteret vrb es tuas  
munitissimas,in quibus tu habes fidu  
ciā gladio.Porrò hæc nō modo per Hi  
spanos, sed multo certius ac verius co  
gnoscimus impleta , per Gascones,  
Scotos, Anglos,& qui cum istis patriç  
inuasori militarunt , Francos Belgio  
infestissimos inimicos:(Est enim

*Inter finitimos vetus, atq, antiqua similitud  
Immortale odium & nunquam sanabile vul  
nus.*

Siquidem quæ Hispani(talis est mul  
torum sententia ) crudelius aduersus  
patriam tentasse,feruntur potissimū:  
id fuit postquam hostes (hostium esse  
hostilia exercere arbitrati sunt) à Bel  
gis fuere iudicati. Aut quod stipendia  
(cuius gratia aliarum nationum mili  
tes, 'talia sæpius tentasse vixum fuit)de  
bita ijs non penderentur.Sed quid di  
cemus de ijs, qui patriotē nomine glo  
riantur? Nonne patriæ lares, pro quib.  
etiam vitam profundere debebant,  
fortiter defenderunt & pro concor  
diæ legibus viriliter steterunt? At hi  
sunt

sunt, qui præ cæteris omnia sacra prophanarunt, cuncta crudelissimè rapuerunt, pulcherrimas ædes, Regia palatia, vicos, templa, ciuitates integras populati sunt: Religiosos, Sacerdotes, & Deo dicatas virgines inhumanitate summa tractarunt. Longum nimis esset, horum omnia Christianis auribus horrenda gesta enarrare. Nec multum etiam refert, præsertim, cum Belgæ penè omnes suis oculis illa viderint, atque etiam compassi sint. Consideretur quæso nonnihil mentis oculis, quæ nunc Hollandiæ, Zeelandiæ ac Flandriæ facies, & apparebunt omnino decoloratae, squalidæ, laceræ, exangues, ac mortui potius, quam viui speciem præ se ferentes. O iustum Dei iudicium. Qui elegerant à Rhamno (intelligo visurpatorem Belgij eum suis) protegi ac defendi, ab igne qui ex Rhamno egreditur (iuxta parabolam Ioatham ad viros Sichem) consumuntur, illiusque spinis atque aculeis penitus dilacerantur. Simile quondam Anglis accidisse, D. Beda testis est fidelissimus: Nam ut ipse pluribus nar-

E rat,

Lib. i. hist. rat ) exteræ nationis in Angliam Sa-  
 Angl. c. 14. xones aduocati, vt ibidem præsidio  
 15. 16. essent, contra gentium incursionses  
 maximè feras, quam primum patriam  
 sunt ingressi, substantiam incolarum  
 deuorarunt, & in ipsos met incolas  
 grauiter sœuierunt, atque bonos ma-  
 ximè persequuti sunt, quin & multis  
 vitam tulerunt, imò nec religionem  
 quidem inuiolatam passi sunt. Insa-  
 no autem furore accensi, depopula-  
 tione ciuitatum & agrorum, publi-  
 corumque ac priuatorum euersione  
 ædificiorum nequaquam satiati, pa-  
 sim Sacerdotes ad altaria ipsa truci-  
 dabant. Præsules cum populis, nul-  
 lo discrimine honoris, flammis pari-  
 ter & ferro tradiderunt. Sed de his sa-  
 tis. Qui plura desiderauerit, consu-  
 lat Diui Bedæ historiam An-  
 glicanam, aliosque hi-  
 storiographos.

*De*

*De Exactionibus factis à Du-  
ce Albano, & alijs patriæ  
Gubernatoribus.*

*Cap. VII.*

**S**uperioribus sic absolutis, re-  
linquitur, ut exactiones à Duce  
Albano, & alijs patriæ guberna-  
toribus Regis Catholici autoritate  
à Belgis expetitas, non nihil examine-  
mus. Eas autem tam grauiter multi  
carpunt, ut præsentium calamitatum  
causam, ijsdem tribuendam vnicè af-  
ferant. Verum an tam iniquè de illis  
sit sentiendum, facile erit perspicere: si  
quid juris in subditis, secundum da-  
tam à Deo legem, Rex habeat, prius  
perpendatur. Istud verò quam optimè  
fiet verbis Samuelis, vel potius Dei,  
per Samuelem loquētis. Hoc (inquit) r. Reg. 2.  
erit ius Regis, qui imperaturus est vo-  
bis, filios vestros tollet, & ponet in cur-  
ribus suis, facietq; sibi equites & præ-  
cursores quadrigarum suarū, & mes-  
sores segetum, & fabros armorum,

& curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias & focariás: agros quoque vestros, & vineas & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Seruos etiam vestros, & ancillas & iuuenes optimos & aſinos auferet, & ponet in opere suo, greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis illi serui, & cætera. Quibus sole metidiano clarius ostenditur, authoritate diuina licere Regi à populo tributa exigere, atque si rebus subiecti populi tantum proprijs, immo & subditis tamen quam seruis vtatur, parendum nihilominus esse, etiamſi recte rationis ac iustitiae terminos pro libidine transgredi videatur. Etenim (vt est apud Osseam) iratus Dominus dat quandoq; Reges in furore, & aufert in indignatione sua. Et regnare facit Deus hypocrytam propter peccata populi. Quæcum Deus facit, quis sanæ mentis dicet, Regibus non esse obtemperandum? An non esset id resistere Dei voluntati, de qua minimè est dubitandum, ſi legitimè nimirum per electio nem debitam, vel iustum successio-

Oſc. 13.

Iob. 34.

nem

nem hæreditariam, huiusmodi Reges  
creatos esse cognouerimus. Deinde  
vt liceret ( quod tamen cum iustitia  
pugnare videtur) iniquarum exactio-  
num gratia Principibus repugnare,  
nequaquam tamen id faciendum fo-  
ret, cum inde perturbandam Remp.  
opinio est, vt certè nostro fuisse sæcu-  
lo, grauissimæ & innumeræ, quæ mox  
euenero calamitates, euincunt. Huic  
sententiæ subscribens Reuerendissi-  
ma D. Dominus Episcopus Leouar-  
diensis M. N. Cunerus in libello, quem  
de Christiani Principis officio scripsit,  
tum ex prædicto Samuelis loco, tum  
ex D. Augustino doctissimè probat,  
neminem omnino esse, cui Principi  
suo rebellare liceat, quanquam iniu-  
stissimis tributis subditos oneret. Ut  
quod nullus sit, qui in temporalibus  
bonis aliquid proprij habeat, quod  
iure humano, seu Imperatorio non  
possideat. Tolle ( inquit D. Augusti-  
nus) iura Imperatorum, & quis audet in tracta. 6.  
dicere mea est illa villa, aut meus est  
ille seruus, aut domus hæc mea est?  
Noli dicere, Quid mihi & Regi? Quid

in Ioanne.

CAVSÆ CALAMITAT.  
ergo tibi & possessioni? Per iura Regū possidētur possessiones Christi . Quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones meas, quia ad ipsa iura humana renūtiaſti , quibus possidentur possessiones. Vnde David mortem Saul Regis lugens, dicebat: Filiæ Israel super Saul flete, qui vesteſiebat vos coccino in deſſicijs, qui præbebat ornementa aurea cultui veftro. Cum autem , Dei permiſſione, atque etiam, quod ſupra iura humana ſit Rex, liceat , à ſubditis quidlibet iuri ſubditum humano exigere & accipere, prout regno & comuni omnium utilitati ( neque enim ullo modo probandæ cuiquam ſunt irrationabiles, nimisque graues Prin- cipum exactiones) expedire iudicauerit: cumque bonum Regi noſtro viſum fuerit, vt à Belgis exigerentur denarius centesimus, vigesimus, & alia, ſcilicet ad ipſius Belgij tuitionem, nō utique fuit licitum cum pertinacius refiſtere voluntati. Reddite ( inquit Christus) quæ ſunt Cæſaris Cæſari , & quæ ſunt Dei Deo. Quod etiam eſſe fa- ciendum Christus ipſo ſuo docuit ex-

2. Reg. 1.

Matt. 22.

CMA

emplo. Qui cum iustè potuisset se excusare à contributione didragmatis, attamen dare maluit, quam exigentibus scandalō esset. Volens utique nos docere, non esse licitum principibus id subtrahere, de quo dubitatur an eis debeatur. Christi autem doctrinæ se conformans Apostolus ait: Necessita-<sup>Rom. 13.</sup>ti subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim tributa præstatis (ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruien-tes) Reddite omnibus tributa, cui tributum, tributum: cui vestigal, vestigal, cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Meminisse etiam oportet Prophetæ Dauidis, cui in Sau-lem Christum dominū aliquid finis tri-<sup>I. Reg. xx.</sup>stri tentare, vel manus violentas inferre religio fuit, licet is iniquissimè cū persequeretur, & Sacerdotes Domini octoginta quinq; viros, Ephod linea vestitos occidisset. Imò ut constaret illum à Deo reprobatum, se vero illius loco electum. Quis hisce perspectis, perget dicere fuisse licitum, nō modo

## 36 CAVSÆ CALAMITAT.

exactiōni Regię pertinacius contradicere, sed & consilia eius damnare ac persequi? Quæ quidem meliorem in partem fuisse interpretanda docent, tum superius allata, tum maximè afflictiones nostri sæculi grauissimæ, quas plenis plaustris postea hæretici, Dei & Regiæ Maiestatis coniurati hostes, in patriam inuexerunt. Quibus sane potentius occurrere sua Maiestas potuisset, dictis exactiōnibus obtentis. Adde quod hac ratione militibus satisfieri, & disciplina militaris (qua neglecta innumeris calamitatibus etiamnum opprimitur patria) melius seruari potuisset. His enim de causis Principes Christiani tributa exigunt. Pro patria autem, ac fide seu religione Catholica non solum bona quæque, sed etiam vitam profundere debuissent ad vnum omnes Belgæ. Quod in ipsis malorum exordijs si liberaliter fecissent, vtique & inimici fidei Catholicae iam debellati essent, & patria bonis omnibus abundaret, que postea & hæreticis, & utriusque partis militibus prædæ sunt facta. Præstitif-  
set

set sane de Regis clementia (ea equi-  
dē est, vt rogata facilē vel in mitiore  
formā cōmutasset petitas contributi-  
ones, vel etiam easipſas omnino re-  
misiſſet) præſertim ſæpius experta, be-  
nè ſperando conſenſiſſe exactionibus  
à patriæ gubernatoribus factis, quām  
patriam ac ſeipſos dedere misericor-  
diæ hæreticorum, qui non modo cen-  
tēſium, vigēſium, & decimū  
nummū, ſed etiam quintū, quar-  
tū & tertū exegiſſe feruntur, &  
accepiffe, idq̄c contra Regis nostri  
voluntatē. Omitto infinitas quas e-  
gerunt prædationes, & quod templa  
quæq̄c ornamentis omnibus spolia-  
rint. Imò etiam non paucas ædes fa-  
cras vendiderint, & Ecclesiasticorū ac  
nōnullorū nobiliū bona, illis in exi-  
liū abactis usurparint, firſco ſuo aſcri-  
bētes. Nonne mirū eſt, Belgas oblitos  
tam cito fuiſſe grauifſimorum peri-  
culorum, in quibus fuerant, cum in-  
tempeſtiua nocte conuentus & con-  
ciones tenebrarum ab hæreticis age-  
rentur; ſimul & ſcelerum, quæ ſacrile-  
gis manibus perditifſimorum homi-

## 58 CAVSÆ CALAMITAT.

num, in Hollandia, & Zeelandia perpetrata fuerant recenti memoria? In quibus tanquam in speculo contemplari ipsis licuisset, quam foedè per eosdem authores, facie Republicæ & religionis Catholicæ erat conspurcanda, ac impiè dilanianda, si occasio nem prouincias, quæ tunc Regi & religioni Catholicæ addictæ erant, invadendi nanciscerentur. Præstitisset fanè alieno malo sapere, atq; etiam ære quanq; immenso infinita, quæ postea cōtigerunt redemisse mala. Itaq; cum Regia Maiestas per Gubernatores Belgij, exactiones maximas petendo iure suo sit vſa, quod videret, (vt patuit ex literis ciuiis) necessarium ut Belgio pararet thesaurū, ad refrenandos hæreticorum conatus, qui ad patriæ perditionem, tanquam rugientes leones inhiabant, vbi bina in Belgium irruptione ingenti exercitu, superioribus annis euidentissimè ostenderant. Tum quod sciret militarem disciplinam non posse exactius seruari, nisi solutio stipendiorum fieret. Quod v-

tiq;

tique nonnisi subditorum suorum auxilio exequi poterat. Atq; etiā quod oppignorata causa sui Belgij tandem aliquando Regis damno forent redimenda. Cum, inquam, his de causis inducta sit Regia Maiestas ad petendum magna tributa, nequaquam dici potest, regias exactiones, causas esse calamitatum prouincias Belgicas afflagentium, etiam si earum occasione (illas nimis importunè Duce Alba-no vrgente) plurima consequuta sint mala, hæreticis proscriptis, Geuzijs-que exilibus, ea procurantibus. Con citata enim, per eos plebe aduersus dictas exactiones, quas tanquam ty rannicas passim accusabant & damnabant, multas Belgij ciuitates plebis fauore adiuti, occupauerunt. Quibus occupatis, D E V S bone? quot perpetrata ibidem sunt scelera? Quot oppressiones & cædes Catholicorum? Quot templorum & monasteriorum direptiones? Quām impiæ mutationes, ac etiā euersiones religio nis Catholicæ? Quātæ ditionū Belgica rum

rum vastationes ac depopulationes. Omitto innumera hisce longe grauiora, quæ quidem contingere permisit Deus, ut nimia Belgarum punicitur bonorum temporalium cupiditas, cuius gratia maluerunt patriam suam, ipsamque fidem Catholicam prodere, quam annuos redditus, suaq; lucra, vel tantillum imminuere. Adde quod adhuc expianda erant horrenda sacrilegia, quæ paulò ante erant perpetrata, & immanes iniuriæ in Eucharistiæ sacramentum, sacerdotes, religiosos, sanctorum reliquias & imagines commissæ, aliaque id genus detestanda hæreticorum flagitia. Denique ut plurimi Belgarum luxus ac fastus pro meritis punirentur, illa contigisse certum est.

*De Pacificatione 1576. Gandavi facta. Cap. VIII.*

**P**RÆCEDENTI causa sic objter ex-  
aminata venit illa, quæ à plu-  
rimis Dei zelo accensis, miseri-  
arum Belgicarum origo omnium pe-  
nè

nè maxima asseritur. Aiunt enim pacificationem anno Domini 1576. factam Gandaui, Belgio maximam partem intulisse malorum, utpote quæ hæreticos exules, qui paulo ante omnes prouincias perturbarant, proprijs sedibus restituit, eosque libere pro sua voluntate, dummodo tamen nō præberent Catholicis scandalum, agere permisit. Quapropter etiam eos qui probarunt, illamque composuerunt grauiter accusant. Quod nimur plurimis quæ postea Belgium obruerunt aduersis ansam dederint. Attamen tam illos qui huic pacificationi conficiendæ suam operam dederunt, quam illos qui eandem sua stabilierunt authoritate, & qui suis compobarunt censuris, calamitatū, quæ post modū contigerunt, insontes esse, nemō ambigere debet. Ut qui sciātur illā cōposuisse, cōprobasse & cōfirmasse, vti, per eam occurreretur bellis, quibus mirum in modum tunc multæ prouinciæ Belgij dilaniabantur: & qđ sperarent Hollandiam ac Zeelandiam hac ratione religione Catholicae, ac

Regiæ.

Regiæ Maiestati restituendas. Cuius etiam spem bonam dabant, qui ex istis prouincijs ad illam pacis tractationem missi fuerant. Amor igitur patriæ molestissimi belli intestini fastidium, pacis desiderium, spes reunendarum prouinciarum, & restituendæ religionis Catholicæ, plus satis illos excusant, damnant vero eos, qui viros bonos, pios, doctos, tanquam authores malorum passim accusare, zelo quidem pietatis, sed non secundum iustitiam, haud verentur. Si oculus tuus (inquit Christus) fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Hominum actiones bonæ vel malæ ex intentione iudicandæ sunt: atque intentiones dictam pacem componentium, comprobantium & confirmantium (scilicet qui à parte Regiæ Maiestatis steterunt) optimas fuisse constat. Quod autem mala plurima postmodum euenerint, non bene ea omnia pacis tractationi, quæ pro temporum illorum constitutione necessaria videbatur, sed non obseruatis eiusdem

dem articulis, meritò tribuuntur. Maximè verò hæreticorum perfidiæ, quæ tanta est, ut mereatur, licet se sacro obstringant iuramento, ne vñquam illis credatur etiam vera dicentibus. Si quidem quicquid proferunt siue verum siue falsum, id totum referunt, vel ad Catholicæ religionis detrimen-  
tum, vel ad Catholicorum deceptio-  
nem, quod plurimis doceri exemplis  
posset. An nō hæretici specie veritatis  
viris sanctissimis simul & doctissimis  
in Ariminensi Concilio congregatis,  
imposuerunt? Et Diuo Augustino te-  
ste, liquet, Cælestinum Pelagiana hæ-  
resi infectum imposuisse Innocentio  
primo Pontifici Maximo, dum ab  
hæresi se coram illo purgaret. In-  
numera huius generis sunt apud scri-  
ptores sacros exempla. Taceo quod  
plutimi fuerunt hæresiarchæ & eti-  
amnum sunt, qui docere non cru-  
bescunt, licitum esse mentiri, cum  
speratur suæ religionis augmentum  
seu commodum. Quod etiam ex libello de Caluini vita scripto  
con-

Hist. Eccl.  
li. 7. c. 25. &  
li. 5. c. 24.

August. de  
mendacio  
contra me-  
dium.

constare possit. An non etiam id sensisse videntur Belgij inuasores, iurantes, frequentius se nihil innouaturos, neque passuros, ut vlla mutatio vel iniuria Catholicæ religioni fieret, nec ut quicquam contra Regiam Maiestatē tentaretur. Perfidiæ eorum vnica pacificatio Gandensis ab illis sèpius repetito iuramento firmata, sufficiens sanè perhibet testimonium. Num sicut in pacificationis articulis iurarunt, pacifice inter Catholicos vixerunt? Num scandalio nemini fuerunt? Num aduersus Catholicam religionem, & Catholicos nihil machinati sunt? Num sine dilatione restituerunt arces, naues bellicas cum armamentis, & cætra, quibus impiè Regem spoliauerāt? Num se commodos, & morigeros Regiæ Maiestati exhibuerunt subditos? Num spem restituendæ religionis, quam dederant facto comprobarūt? Num generalem statuum conuocationem, cui multa in pacificatiōe definienda relinquebantur promouerunt? Imò vero, his alijsq; sèpius ab illis iuramenti sacramento firmatis,

con-

contraria ex diametro fecisse, res ipsa nostraque miseria testatur. Vnde adducor ut credam, quod me olim legisse in quodam libello de afflictionibus, quæ per Calvinistas in Francia contigerunt. Nimirum, quod quan-

docunque hæretici promiserunt, ac etiam iurarunt quod sit in fauorem Catholicorum, contrarium eos iuras-  
se sit intelligendum. Istud autem ex-  
emplis plurimis, quæ in Francia con-  
tigerunt, docet prædictus libellus. V.  
nico & nos exemplo, quod nobis ipsis  
accidit, idem probare non inconsul-  
tum fuerit. Anno à Christo nato 1579.

paulò pòst, quam plurimi Ecclesiasti-  
ci Antuerpiæ electi essent, scripsit, q ex  
Belgio religionem Catholicam ac Re-  
giam Maiestatem proscribere cona-  
tur, ad duces militum Bergarum D.  
Gvvinoci, oppidi Flandriæ, significas  
quid Antuerpiæ esset factum, atque  
præcipiens, ne permitteret tale quid  
fieri, in ciuitate fidei ipsorum manda-  
ra. Has legens ego literas, mox cœpi  
de præcepto dubitare, ac timere ne  
contrarium foret nobis expectan-

Vide libel-  
lum Clau-  
dij de sani-  
tates, inscri-  
ptum, du-  
lacageme<sup>t</sup>  
des Eglises  
de France.

F eum.

dum. Quapropter breui post eosdem, militum duces conueni, indicans illis quid opinarer futurum, quidue timendum nobis esset ab eorum militibus, atque obnoxie eosdem rogaui, quatenus nos cum omnibus Ecclesiasticis ex ciuitate pacificè dimitterent, neue nos darent prædæ, & iniurijs suorum militum. & seditionis orum ciuium, quo modo superiori semestris tempore fecerant. Illi audita petitione, cœperunt omnes polliceri additis multis iuramentis, & iui execrationibus etiam plus decies repetitis, quod nihil aduersi nobis contingere, ac potius vitam profunderent, quam quidi-  
piam iniuriæ nobis permitterent inferri. Et ecce vti sub horam nonam vesperi nobis prædicta polliciti fuerant, postera die manè sub horam sextam à militibus eorundem, leone ferocioribus, sine vlla resistentia istorum du-  
cum, imò ipsorum, vt postea didici decreto, inuadimur, omnibus spolia-  
muri, vestibus exuimus, cædimur, & capiti omnes Ecclesiastici in domum ciuicam ducimur. Sub horam vero  
quar-

quartam pomeridianam eiusdem di-  
ci, omnes eorundem ducum manda-  
to ex ciuitate ejicimur, electi iner-  
mes exponimur iniurijs omnium ne-  
bulonum, eo solum qui Prioris vices  
subibat, in quodam domus ciuicæ cu-  
biculo per quindenam detento. Vn-  
de vix multis etiam precibus est dimis-  
sus, licet ipsius innocentia apud com-  
missarios eò ab aula deputatos, claris-  
sime fuisse comprobata. Qui autem  
ciuitate fuerant expulsi, bis terie à  
militibus dictorum capitaneorum,  
sic spoliati & tractati sunt, ut etiam in-  
dusis proprijs denudarentur. Quo-  
rum duo vel tres, die sequenti summo  
mane, ad ciuitatis Burburgi portam,  
acceptis nonnullis pro Christi nomi-  
ne vulneribus peruererunt, recti sac-  
cis, quos dederant rusticæ mulieres,  
eorum nuditati compaticentes: Reli-  
qui verò per detia dispersi sibi con-  
sulebant, ne severius ab eorundem  
militibus exciperentur. En quantum  
fidem adhibere debeamus pro-  
missis ac iuramentis, quæ in grati-  
am Catholicorum heretici faciunt:

## 68 CAVSÆ CALAMITAT.

lupus sanc nunquam desinit esse lupus , etiam si ouina pelle contegatur. Sic nec hæretici, quanquam simulatis verbis , vel hypocritarum actionibus aliquando mentiantur se beneuelos, mites, nihil querere nisi pacem & conscientiarum libertatem, vñquam sibi dissimiles esse posunt. Sed, quid id mirum ? Cum vas electionis eos asserat sui amantes, cupidos, elatos, superbos blasphemos, parentibus non obedientes, ingratos, sceleratos, sine affectione, sine pace , criminatores, incontinentes, immites , sine benignitate, proditores, proteruos, tumidos, & voluptatum amatores magis quam Dei , habentes quidem speciem pietatis , virtutem autem eius abnegantes. Est indubie hæresis inquietum malum, venenum mortiferum bona quæq; corrūpens, destruens ac perueriens? Quid quæso in ijs locis reliqui fecit, ubi à legibus libera effrenisq; est facta ? Quid non vastatum, peruersum ac dirutum fuit. Nunquid omnia ibi ærum nosa, misera , plena odio, inuidiae , periculi, seditionis calamitatis? Nunquid post

ad-

admissam in Belgij viscera hæresim,  
animæ pestem omnia vergere ad inter-  
ritum visa sunt? Istud certè Reipub.  
Belgicæ satis superque docet consti-  
tutio. Vbi nulla subiectio Senarui,  
nulla senibus reuerentia, nec obedi-  
entia exhibetur Sacerdotibus, vbi  
diuina humanis & humana diuinis  
permisceri cernuntur. Atque simi-  
lium facinorum multa nimis, Impe-  
rium Germaniæ, Regna Franciæ,  
Angliæ, Scotiæ; & Reliqua Belgio vi-  
cina, exempla exhibebant; Si illorum  
ærumnis ac miserijs Belgis sapere pla-  
cuisset. Vtri certè Prouinciæ Arthesiæ  
& Hannoniæ, acciuitates quædam ijs  
contiguaæ se fecisse gaudent. Quæ ni-  
mirum Regi suo se vltro iampridè  
subdiderunt, ciusque partes fortiter  
nunc tuentur. Hæreticorum porro  
improbitas, iam inde à nascente Eccle-  
sia, coëgit Principes Christianos legi-  
bus in illos vti grauissimis. Quibus tâ-  
tum abest ut liberum fecerint priuile-  
gijs Catholicorum fruendi, vel illis  
cohabitandi, vt eos exilio damnasse,  
bonorum confiscatione mulctasse,

E 3 atque

## 70 CAVSÆ CALAMITAT.

Lib. 10.

atque etiam poena mortis puniſſe lo-  
gantur, ſicut, videre eſt in legibus Im-  
peratorum Codice citatis. Sciebant v-  
tique hæreticos indulgentia ac man-  
ſtudine legum, ac iudicū ſemper  
fieri deteriores, ſuisq; ciuibus nocen-  
tiōres, vt plus ſatis euincunt calamita-  
tes, quæ leges modeſtiæ hæreticis, per  
pacificationem Gandensem præſcrip-  
tas, conſequutæ ſunt, & nos adhuc ho-  
die cruciant. Quæ præuidens futura A-

2. Acto. 20.

poſtoliſus, dicebat: Scio, quoniā intra-  
bunt poſt diſceſſionem meam lupi ra-  
paces in vos, non parcētes gregi. Qua-

1. Timoſ. 3.

re etiam ſæpius admonet, vt illos ſedu-  
lo vitemus: Modicum ſanè fermentū  
totam maſſam corrumpit. Quemad-  
modum igitur in familijs, ita & in Re-  
pub. nihil eſt peſtilētius contrarijſ ſen-  
tentijs cohabitantium, & diſſimilitu-  
dine ſtudiorum ac voluntatū, in ijs po-  
tissimum, quæ religionem concernūt.  
Quis lupos cum agnis habitare abſq;  
ſuo danno ferat? Et in deſerto cum  
latronibus inermis iter faciet, ac ſanus  
ad deſtinatam perueniet metam? At  
hiſ longē hæretici ſunt noſentiores.

v

ut qui non tam rerum & corporum,  
 quam animarū perditionem querāt,  
 scilicet vbi nullis legibus coēcentur,  
 & potissimū, vbi leges vel Principes si-  
 bi fauere sentiunt. Malum cui nullum  
 obijcitur obstaculum, latius semper  
 serpit: & obvia quæq; inficit. Scintilla  
 (inquit D. Hieronym.) res parua est, & D. Ieron.  
 propè dum cernitur non videtur, sed <sup>in s. cap. ad</sup>  
 si fomitem comprehendenterit & nutri-  
 menta, quamuis parvus ignis, inuenie-  
 rit, mœnia, vrbes, latissimos saltus re-  
 gionesq; consumit. Fermentum quo-  
 que (cuius ad aliam partem in Euange-  
 lio parabola temperata est) res modi-  
 ca videtur & nihili, sed cum farinæ re-  
 spersum totā massam vigore suo cor-  
 ruperit, in illius vim transit omne qd'  
 mixtum est. Itaq; & doctrina peruersa  
 ab vno incipiens, vix duos aut tres in  
 exordio reperit auditores, sed paula-  
 tim ut cancer serpit in corpore: & (iu-  
 xta vulgare proverbiū) vnius pecu-  
 dis scabies totum maculat gregē. Igi-  
 tur & scintilla statim ut apparuerit, ex-  
 tinguēda est, & fermentū à masse vici-  
 nia semouēdū. Secādæ putridæ carnes

& scabiosum animali, à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrefcant, intereant. Arrius in Alexandria vna fuit scintilla, sed quia non statim oppressa, totum orbem eius flamma populata est: Verè ex quo cessarunt leges aduersus hæreticam prauitatem, & hæreticis facta est libertas ad proprias sedes reuertendi, in rātum numerum excreuere & multiplicati sunt, vt quicquid erat boni seminis, in multis Belgij prouincijs relictum, id penitus euulserint, exterminarint absumperint. Quod equidē, per plagam locustarum AEgyptiacarum quam optimè fuisse figuratum, videtur. Etenim ascenderunt super vniuersam terram AEgypti, & scederunt, in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, qualcs ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. Operueruntq; vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Decuorata est igitur herba, & quicquid pomorum in arboribus fuit: quæ grādo dimiserat. Nihil quoque omnino virens

virens relictum est, in lignis & in herbis terræ & in cuncta Aegypto. Prorsus quæ in Hollandia, Zeelandia, Flandria, & vbi primas obtinuerent hæretici gesta sunt, nobis graphicè veritatem dictæ plagæ exprimunt. Iam enim universam illarum prouinciarum regionem hæreticos operuisse videmus, & miserrimè vastasse, quicquid in ipsis erat dignitatis, gloriæ, splendoris ac diuitiariū. Nam qui inter plebeios (hi ob humiliorem status sui conditionem, herbis humi quasi repentibus appositiè exprimuntur) & qui inter Ecclesiasticos, & nobiles Senatorijq; ordinis viros eminebant (quos cum arboribus rectè cōtuleris) Qui inquā inter eos virebant, virtutum ac religionis frondibus, & fructibus plurimis abundabant, simul atque hæretici voti sui compotes fuerunt, statim crudelissime afficti, spoliati, hæreditatibus pulsi, in exilium ablegati, aut certe seruitutem Aegyptiaca grauiorem subire coacti sunt. Habes Christiane lector, quid sentiendum sit, de Pacificatione Gandensi; Item de illis qui il-

illam composuerunt, comprobarunt confirmarunt. Prudens vero prætermitto ea, quæ de bonis temporalibus (quorum gratia dicta pacificatio , à plurimis accusatur) adduci poterant, quibus euidentius esset illam ( vt est multorum sententia) Belgio multum nocuisse, nimis indulgendo hæreticis, Dei ac Regiæ maiestatis inimicis.

*De absentia Regiæ Maiestatis à suo Belgio.*

*Cap. IX.*

**N**unc vidēdum, an rectè accuseatur Regia Maiestas quod à suo Belgio summis oppresso calamitatibus, tam diu fese absentauerit, eiique non succurrerit per suam præsentiam, cùm tot tantisq; gemitibus ac votis piorum omnium hactenus sit desiderata. Nemini certe dubium arbitror, Regis præsentiam subditis esse utilissimam, imò & necessariam. Quod enim Episcopus est suis ouibus ad spiritualem, hoc Rex & Princeps quis-

quisque est suis subiectis , ad honestam , & pacificam conuersationem . Atqui Episcopo ab ouibus absente , tantum ab est ut oues spiritu proficiant , vt in dies magis magisque frigescant , languescant , ac contabescant . Ad eum modum per Regis absentiam subditi honestatis pacis ac legum obliiti , in transuersum saepius praecipites feruntur . Nonne quomodo sole a nostro hemisphērio abscedente , sub vesperam agri videntur peius habere , meliusculē verò sole diem illustrante : sic Rege , seu quibuscumque alijs Primatibus a suis procul dissitis , mox incipiunt subditi deterius habere , in officijs languere , & conuersari nimis dissolutē . Etenim ex eorum absentia primo remissior in animis horum fit timor . Metus Regum ( Seneca teste ) regna custodit ) Principum timore remisso , animi dissolutio ortum sumit & incremetum . Inde prava suboritur concupiscētia omnib . perfruendi placentis . Fruitionē concupiscentiarū sequitur contemptus cius , qui per se vel suas leges

76 CAVSÆ CALAMITAT.  
leges ab illis sectandis reuocat, coar-  
guit, supplicijs deterret, corripit. Mox  
oritur effrene desiderijs, prædictas  
supprimendi leges: huiusmodi verò  
desiderium sequuntur tanquam pe-  
dissequæ rebelliones, seditiones, bella  
ciuilia, ac totius ciuitatis seu prouin-  
ciæ ac regni corruptio. Quibus malis  
per Regis præsentiam occursum iri  
clarissimè Sapiens edocet. Rex (in-  
quit) qui sedet in solio, dissipat omne  
malum intuitu suo. Quod etiam in-  
nuitur per illud Iudicium. In diebus:

Indic. vlti. illis non erat Rex Israel, sed unusquis-  
que quod sibi rectum videbatur hoc  
faciebat. Quemadmodum itaq; Præ-  
positis quarumlibet communitatib;  
sedulò gregi subdito per se inuigilan-  
tibus, fiunt subiecti mansuetiores, ti-  
midiores, promptiores, obedientio-  
res, temperantiores. Illis autem absen-  
tibus, efficiuntur duri, effrenes, pro-  
terui, intemperantes, inobedientes,  
peruicaces. Quin etiam iniqua inter-  
dum aduersus suos præpositos tentat.  
Ita Rege præsente, omnes duces, Prin-  
cipes, Nobiles, consules, Aulici, sece-

ad

ad modestiam morumque honestatem  
componunt, ac studiosissime obser-  
uant, ne qua in re Regiam offendant  
Majestatem, eiusque indignationem  
incurrant, omnia eius beneplacita stu-  
diosissimè sectantes & amplectentes,  
Rege vero diutius absente, prædicta  
ab illis solent negligi, quibus negle-  
ctis, effrenes efficiuntur subditi, & ad  
quiduis audendū etiam in suum Prin-  
ipem prompti. Huius documentum,  
insignis Christi exhibit parabola. Ho-  
mo quidā (inquit) nobilis abijt in re-  
gionem longinquam, accipere sibi re-  
gnum & reuerti. Vocatis autem dece  
seruis suis, dedit eis decem minas, &  
ait ad illos: Negotiamini dum venio:  
Ciues vero eius oderant illum, & mi-  
serunt legationem post illum dicen-  
tes, Nolumus hūc regnare super nos.  
Quid clarius? Ecce vix dum recesserat  
& subditos reliquerat, & mox ingra-  
tus esse cœpit, quin & subditi illius  
abnuere imperium, ac etiam elato a-  
nimō reijcere non sunt veriti. Anno  
1539. simile facinus Gandenses ausos  
fuisse aduersus Imperatorem Caro-  
lum

Luc. 19.

## 78 CAVSÆ CALAMITAT.

lum V. in Hispania tunc existentem, historiæ docent, & qui ciudem rebellionis oculati testes fuere, & adhuc superstites sunt. Anno autem 1520. eodē Imperatore Carolo in Flandria existente, nonne in Hispania tumultuatu est grauissimè, ac bella ciuilia, à quibusdam perduellibus excitata? Eodē porro cum illis spiritu agitari eos, qui belli, quod in Belgio geritur architecti sunt, docent vtrorumque fuita, rapinę, sacrilegia, exactiones grauissimę per omnia similes. Que dum in Belgio iniquissimè geruntur, vulgus quod mobili est ingenio, seditiosum, cupidum rerum nouarum, quieti & otio aduersum, quodq; libētius in suā perniciem seducitur, quām ad propriam cogitur salutem, exultans audīssimè illos sectatur, qui tantorum authores sunt malorum, quiq; ipsum dementat pollicendo ei patriæ libertatem, à tyrannide vindicationem, seu eius extirpationem omnimodam, religionis Christianæ reformationem, ac nouā rerum omnium faciem aureaq; sœculla. Tantę porro fuerunt efficiacij apud vul-

vulgus, inanes istæ pollicitationes, ut  
neglecto Rege suo longe clementissi-  
mo, contemptisq; eius ministris fide-  
lissimis, aceruatim populū conspira-  
se in Belgij usurpatores nostris oculis  
videamus, imò & pro usurpatorū ini-  
quissimis placitis, quasi pro foris & a-  
ris decertasse: atq; etiamnum eos, qui  
horum manifestarunt dolos, quasi pa-  
triæ proditores laccessere, persequi, &  
in exilium cogere. Hæc autem alia-  
que eius generis superius enarrata, per  
Regis nostri absentiam, ortum & in-  
crementum sumpsisse arbitrantur,  
quæ ipso præsente, nullo negotio  
impediri, aut incœpta poterant dissi-  
pari. Quid porrò hac de re sentien-  
dum sit, Deo & prudentioribus defi-  
niendum relinquimus. Id tantum dixero,  
Regem plurimis ostendisse argumen-  
tis, quām tenerè suum adamauerit  
Belgium, eiusq; incolas, dum frequen-  
tius & Gubernatores, & leges suas eo-  
rum gratia mutauit. Milites Hispanos  
bis vel tertio reuocauit, statibus pa-  
triæ gubernationem commisit: im-  
mensas ut Belgium suum ab hæretico-  
rum

## 20 CAVSÆ CALAMITAT.

rum incursionibus, oppressionibus  
 defenderet, pecunias expendit, pacem  
 illi frequenter obtulit, eamq; quibus  
 potuit modis, ipsi procurare annixus  
 fuit. Et tamen cum hæ aliaue pluri-  
 ma in Belgarum gratiam fecerit, sum-  
 ma tamen, à quibusdam pro benefi-  
 ciis ingratitudo suæ Maiestati retrivi-  
 buitur. Vnde meritò dicere de ijs pos-  
 set. Cognovit bos possessorem suum,  
 & asinus præsepe domini sui, populus  
 autem meus non me cognovit. Por-  
 ro quod attinet ad Maiestatem Regi-  
 am, certum est eam sæpius desidera-  
 se, Belgio suo per se succurrere. Atq; ha-  
 ctenus iustus nō defuit timor, ne plu-  
 rima, eaq; amplissima regna Hispa-  
 niarum, quibus præst, eo absente, ea-  
 dem tentarēt quæ Belgæ hac tempe-  
 state perpetravunt. Quamobrem Hi-  
 spaniæ consilium, præuidens talia, vel  
 etiam grauiora solere Regis absentia  
 consequi, sategit modis quibus po-  
 tuit & decuit, vt Rex à suo Hispaniarum  
 regno non recederet. Ne dum v-  
 num iam multis vulneribus dilania-  
 tum, sanare cuperet, alterum adhuc  
 sa-

sanum grauius vulneraret. Quo vulnerato, Americam, & omnia Indie Orientalis, & Occidentalis regna, que ab illo dependent, languere ac deterius habere, foret necessarium. Ex duobus quippe malis, minus iudicarunt eligendum. Maxime quod languenti Belgio per Gubernatores facilius succurri, posse sperarent. Carterum medela quam adferunt, dum tardius virtutem suam ægris communicat, & ægroto omnis mora nimis longa sit, à paucis Belgis commendatur, potissimum ijs, qui malum per dies singulos grauius intrudescere sentiunt, & diutius exultare, (nullus locus est domestica sede iucundior) à patræ suauissimo conspectu, miserrimam agentes vitam, coguntur. Hactenus de illa, nunc aliam calamitatum nostrarum causam aggrediamur.

*De luxu fastuq; nobilium Belgij. Cap. X.*

G Lu.

**C A V S Ā E C A L A M I T A T .**

**L**uxum aiunt, fastumque quorundam nobilium patriæ, & astatem nimis iuvenilem nonnullorum Principum, hanc lugubrem Belgio excitatasse tragediam. Sanè inficiari nemo potest, Nobilium confederatorum, aliorumque complurium, luxus ac fastus fuisse maximos. Vnde etiam factum, ut ad tumultus ciendos, seditionesque mouendas, facile profilient, impotentes suam lasciuientem moderari naturam, eamque continere inter limites, sibi tum à Rege, tum ab ipso Dco præscriptos. Luxus enim fastusque lasciuenti naturæ habendas laxant, eamque ad quævis præcipitia impellunt. Ab ijs autem exagitati illecebris ac stimulis, quid non ausi sunt, qui generis non virtutis nobilitate efferebantur? Authoritatem quam habebant mox conuerterunt in dominium, dominium in tyrannidem, ius in aliorum iniuriam, sceptrum in virgam ferream. Nónne & prolapsi sunt à Dei vnius cultu ad impietatem? **A b Ecclesiæ tutela ad eiusdem inter-**  
**ne-**

actionem? A temperantia, ad libidinem? A ratione ad nutum proprium? A tributis sibi debitibus, ad onera gravissima? A simplicitate Christianis digna, ad dolos & fraudes? A prudentia eorum generositatem decente, ad maliciam & insipientiam? A liberalitate ad prodigalitatem, vel à parsimonia ad auaritiam? Ab ornatu ad pompas? A Religionis ac Patriæ amore, ad nimiam dilectionem sui ipsorum? à defensione Ecclesiasticorum & pupillorum, ac miseriæ plebis, ad corundem oppressiones? à concordia ad seditiones? à Reuerentia & obedientia, quam Regi suo debebant, ad contemptum & apertam rebellionem? à pace ad Bella crudelia? Vnde autem tales fructus generentur, Diuus Iacobus aperi-  
tissime docet. Vnde ( inquit ) bella & lites in vobis? Nónne ex concupiscentijs vestris? Quin & ipse comicus, licet ne à limine quidem, ipsas sacras literas salutauerit. Vbi ( inquit ) animo se cupiditate deuinxit mala, necesse est consilia consequi similia.

## 34 CAVSÆ CALAMITAT.

An non confœderati , & corum asse-  
clæ consimilia suis desiderijs sectati  
sunt cōsilia? Qui sentientes inquisitio-  
num legibus prohiberi, quam affecta-  
bant libertatem , Gubernatores Bel-  
gij sollicitarunt, vti decreta, in hæreti-  
cos sancita tollerentur, quò etiam ne-  
cessitate quadam adactos , pertraxe-  
runt: Facta videlicet effreni populo li-  
centia, tenebrarum, & noctis concio-  
nes agendi, & sacrarum ædium imagi-  
nes, altaria , & cætera pictatis monu-  
menta euertendi. En quomodo ma-  
lum serpit, & quinam initia nostris  
calamitatibus dedere, suo nimirum  
luxu profuso & vita dissolutissima,  
corruptissimisque moribus, ac in pri-  
mis pertinaciter patrocinando , pro-  
desiderijs pestilentissimis mercatorū,  
qui fermento hæreleos infecti erant.  
Verum enim uero, quò capita, seu præ-  
cipua ( inter quæ sunt nobiles ) patriæ  
membra tendere videbantur , eodem  
protinus contendit etiam populus.  
Cui tantò magis nocuerunt suis exē-  
plis, quantò authortate, loco , digni-  
tate, erant illo eminentiores. Atq; co-  
rum

rum studia, conatus, ac vitam Deo su-  
isse ingratissima, vel ex eo constat, qđ  
penè omnes qui prædicta attentarūt,  
miserè perierint, senserintque primi  
mala, quæ omnibus Belgis excitarūt.  
Sæpe equidem in magistrum scelera  
redeunt sua. Quo sit, ut qui similia cū  
illis perpetrarunt, & quibus tamen  
Deus hactenus indulxit pœnitentiæ  
tempus, timere eos oporteat, ne & ip-  
si aliquando impœnitentes, vindicem  
manum Dei sentiant. Quod huiusmo Amos 6.  
di de causis optimatibus Israëlitarum  
Amos Propheta, minatur, dicens: Væ  
vobisq opulenti estis in Sion, & confi-  
ditis in monte Samariæ, Optimates,  
populorum capita, ingredientes pom-  
paticè domum Israel. Qui separati e-  
stis ad diem malum, & appropinquau-  
tis solo iniquitatis. Qui dormitis in  
lectis eburneis, & lasciuitis in stratis  
vestris. Qui comeditis agnum de gre-  
ge, & vitulos de medio armenti, qui  
canitis ad vocem Psalterij. Sicut Da-  
uid, putauerunt se habere vasa canti-  
ci, bibentes vinum de phialis, & opti-  
mo vnguento delibuti, & nihil com-

88 CAVSÆ CALAMITAT.

patiebantur super contritione Israel.  
Quapropter nunc migrabunt in capite migrantium, & auferetur factio lasciuientium, Quemadmodum ergo Deus magis eorum peccata detestatur, qui cæteris ratione officij, & dignitatis quam gerunt, prælucere virtutum claritate debent: Ita etiam in tales, qui his contraria faciunt, grauius animaduertere solet, ipsa scriptura teste. Præbete aures (inquit Sapiens) vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Horrendè & cito apparebit vobis, Quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet: Exiguo enim conceditur misericordia. Potentes autem potenter tormenta patientur.

De iuuenili aetate Senatorum.

Cap.

## Cap. XI.

**P**orrò sicut nostras tribus  
unt calamitates luxui, fa-  
stuique confoederatorum  
nobilium ætate iuniorū;  
Ita audent easdem asscri-  
bere ætati nimis iuuenili plurimorū,  
qui, ex quo labascere cœpit Belgij res-  
publica, assumpti in ordinem sena-  
torum, seu ad ciuitatum moderandas  
resp. magistratus creati sunt, seniori-  
bus à magistratu remotis, vel certè vi-  
ta defunctis mortali. Evidem vider-  
tur, Dens promeritas à Belgis volens  
exigere poenas, prius plurimos senio-  
res ciuitatum rectores, (mitto quod  
in multis Ecclesiæ præpositis, idem  
contigisse obseruatum sit) ne tam lu-  
gubris tragœdiæ essent spectatores,  
ex hoc cripuisse sæculo, ipsorumque  
loco permisisse, ut sufficerentur iunio-  
res: quos ad tragicas actiones euersio-  
nesq; rerumpub. multo esse aptiores,  
nulli est dubium. Vt poteris qui soleant  
affectionib. magis, q; ratione, duci: sua  
que cōcepta defēdere, authoritatē, &

nō raro animi passione potius; quām  
æquitate: opinionē magis, quām sci-  
entia: Scilicet, quod dñs eis naturæ fer-  
uor adhuc vehementior existat, nulla  
insit experientia, atque sensualia in ip-  
sis ferueant desideria, quæ in præcep-  
tos eos sæpius ita abripiunt, ut eminentē  
adepti potestatem, nihil putent san-  
ctum, nisi quod libet. Iuuenis (inquit  
Philo Iudeus) summam adeptus po-  
testatem, & cupiditatibus vtens effe-  
ratis, malum est inexpugnabile. Vnde  
ab ijs fuisse cauendum monuit D. Gré-  
gorius Nissenus: In omni (ait) ferè ne-  
gotio periculosa sunt adolescentium  
consilia: nec facile reperias, qui aliquid  
gesserint rerum magnarum, quibus  
cani non fuerint ad considerationis  
communionem exhibiti. Notissimū  
est, quod Roboam iuuenis iuuenum  
vtens consilio, sit consequutus: Nem-  
pè aduersus se rebellionem grauissi-  
mam: & decem tribuum à se & à suo  
semine in perpetuum alienationem.  
Sic sic certe per etatē imprudentio-  
res magistratus Belgici Regisque offi-  
ciarij præcipitando consilia de ejci-

en dis Hispanis, de armis aduersus eos  
suscipiendis, de vocando Principe Au-  
raico, eiusque militibus in auxilium,  
aliamq; his similia, ad rerum omnium  
confusionem, totiusque patriæ sub-  
versionem, ac nostram omnium cala-  
mitatē grauissimam, egregiè coope-  
rati sunt. Quapropter de ipsis dicere  
liceat quod Cicero, interrogans qui  
Remp. tātam amisissent, & tam cito;  
respondet ex Ennio. Prodierunt ora-  
tores noui, stulti, adolescentuli: Te-  
meritas est florescentis ætatis, pruden-  
tia senectutis. Verūm enim uero, quæ  
de iuuenili ætate senatorum à me hic  
dicta sunt, nolim de omnibus ætate  
iunioribus credi. Siquidem eorum  
nonnullos fuisse constat, quibusdam  
senibus (Cani sunt (inquit Sapiens) sen-  
sus hominis & vita immaculata) pru-  
dentiores atque sagatores. Quales  
fuere: qui animaduertentes consilia  
atque studia inuasorum, fuso plausi-  
bili palliata: ea detegere, illisq; reniti,  
quibus potuerūt modis, conati sunt.  
Atque etiam qui in suis consilijs & a-  
ctionibus, etsi minùs quam decebat

## 50 CAVSÆ CALAMITAT.

cautis , pia mentis affectione profectu  
tum sunt fidei religionisq; catho-  
licæ commodum : nec non pro viri-  
bus sategerunt , vt Regiæ Maiestati  
ab omnibus Belgis debita exhibe-  
tur obedientia . Quæ quidem non-  
nullis in intentione fuisse , vt & mul-  
tis nobilibus ; & , si qui fuere , Præla-  
tis Ecclesiæ , qui in nostra hac nimis  
lugubri tragœdia aliquam egerunt  
personam , vel ex eo clarum est:  
quod , perspecto suorum consilio-  
rum , ac piæ intentionis suæ infelici  
successu ; quodque ad scopum à se de-  
stinatum , ea via non fuisse progre-  
diendum , mox à cœptis multi desti-  
terint : eodemque studio ac proposi-  
to , quo cœperant , partem saniorem  
tutioremque sunt amplexati : fortissi-  
mè expugnantes eos , qui ipsorum fa-  
scinauerant oculos specie inani veri-  
tatis ac iustitiae ; Cùm interim ipsi ca-  
tholicam religionem labefactare ; Re-  
gis vero obedientiam ex Belgio pro-  
scribere , totamq; patriam perdere to-  
tis conarentur vitibus . Atqui his resi-  
piscientia officijs ostendunt profecto

fin.

Sincerum in Regem Religionemque Christianam se semper habuisse animum; damnant vero eos, a quibus ratione suorum consiliorum calumniam sustinet. Quid? An non damnandi sunt, qui ex euentu hominum consilia probant, vel vituperant? Id si licet, damnentur necesse est consilia amplissimorum virorum, & maximè prudentium ac piorum: que procurante hominum malitia extra æquitatis terminos abducuntur, finemque infelicem sortiuntur. Rursum & hac ratione hallucinari videntur calumniatores: quod non attendant, quam difficile fuerit, consiliorum exitus præuidisse cum in Belgio omnia forent turbata, & Respublica cum religione interitum minaretur. Quæ limpida cernuntur in aqua, turbida cerni nequeunt. Perturbatis deinde rebus, consilia ex tempore sunt sumenda, prout negotia hominumque ingenia ferunt. Vnde Comicus:

*Sic ut quimus, quando ut volumus non licet.  
Sanè arbitramur doctissimos quosq;*

&amp;

& quantumuis magno succensos zelo (vt his postremis annis fuere turbata omnia) nequiuissē tanta concitata tempestate, malis mederi. Et sic quidem iudicandum censemus de senatoribus ætate iunioribus, ac nobilibus, alijsq; que, qui piā in consilijs & actionibus intentionem semper habuerunt: eamq; protestati sunt, à cœptis, quorum infelices fore exitus sentiebant, mature resiliendo: nō autem de ijs, q Regis partes amplexati sunt, magis vt suas facultates regio fisco, propter ipsorum absentiam ascribendas, sibi suisq; prolibus conseruarēt; quām quod causæ Regis fauerent: vel certe vt tyrannidem effugerent inuasorum, qui ne suis quidem fautoribus parcere solent: iamque feruntur, quē admodum Iudei quondam Christū, abiurasse Regem suum longè clementissimum: quin & contumelijs atque ignominijs, quantis potuerunt, affecisse, libellos in lucem aduersus catholicam eius maiestatem, plenissimos mendacijs, perniciosissimis edendo; nec non ipsius insignia abradendo, & sigil-

sigilla confringendo. Multo verò minus excusatos cupio eos, qui adhuc hodie usurpatoribus, ipsorum promouentes studia, adhærent. Quippe qui sat apertè doceant, cuius intentionis ac studij semper fuerint. Seilicet exterminandi ex Belgio religionem catholicam, legesque pro catholicis latae, atque illarum loco plantandi Caluinī religionem; nec non hominum figmenta, inanes fabulas sectantium. Ut taceam illos ad Ecclesiasticorum bona, & catholicorum diuitium aspirasse: quò sine ullo legum timore ex alieno bacchanalia viuere liceret.

## *De Belgartum diuinitijs & earumdem tranquilla possessione.*

### *Cap. XII.*



Vi historias rerum Belgicarum euoluunt, nō sunt nescij multas Belgij provincias, vt Hollandiam, Zeelandiam, Flandriam ac nonnullas alias, à plurimis s̄eculis bel

la

## 94 CAVSÆ CALAMITAT.

la ante has tempestates non sensisse, imò nec iniurias militum seu concus siones (vt quod ab hostib. remotiores extiterint) fuisse expertas. Quinimò tranquillitate ac pace summa plurimis sæculis easde esse potitas, notissimū est, atque etiam per Mercatorum totius ferè orbis concursionem frequentationemque, abundasse rerum omnium affluentia. Etenim ob terræ fertilitatem, incolarum industriam, accessum ad varias Belgij prouincias, per mare, plurimaque; flumina accommodissimum, fuit hectota regio in omnib. adeo abundans & exulta, vt meritò voluptatis dici paradiſus mereatur, in medio terræ à Deo plantatus, atque in diuinijs cū Sidone, vti & cū Tyro comparari potuerit. Cuius negotiatores principes institores inclyti terræ fuerunt. Verum cum tantis Belgæ ingrati beneficijs diuinam non agnoscunt liberalitatem, & quæ ad Dei laudē, & gratiarum actionem eos impellere in propriam perniciem, sui ac Dei obliti, conuertunt, facto (quam suō damno) illud Poëtæ cuius-

ausdām approbare volentes.

*Luxuriant animi rebus plerumq; secundis.*

Deus sitiens salutis humanæ, singula-  
ri sua prouidentia modo alio, licet  
Belgis minus grato, ad saniorem eos  
reuocare mētem conatur. Ea nempe,  
in quibus voluptuabantur, illisipfis,  
quos in suam protectionem delege-  
rant, dando in prædam & rapinam, &  
permittendo ut per eosdem indignis-  
simè tractentur. Causam quæris? Ni-  
mio temporalium accumulando-  
rum studio, atque diurna illorum  
foelici fruitione, languescebat in Bel-  
gis virtus, paupertas probro habeba-  
tur, innocentia pro malevolentia du-  
cebatur, iuuentutem luxuria & su-  
perbia corruerant. Quid plura? De  
Belgis dici poterat illud Senecæ; Perie-  
re mores, ius, decus, pietas, fides, &  
qui redire nescit cum perit, pudor. Ve-  
rum ad negotiatores exterros reuertar-  
mur, Belgarum inhantes opib. & eos  
mille captantes artibus. Nonne & hi  
ad Belgij calamitates multū addide-  
rūt, merces vitæ humanæ minimè ne-  
cessari.

cessarias, seruientes autem superbijs,  
vanitatibus, & concupiscentijs, desi-  
derijsque carnalibus, inuehendo. Qui  
bus inescati molles quique Belgarum  
& Iuuenes cum mulieribus illis totos  
se consecrarunt. Nónne etiam Merca-  
tores viam sua conuersatione aperie-  
runt plurimis, non minùs peregrinis,  
quam noxijs moribus? Nónne & com-  
piures quo potuere conatu, à se imbu-  
tas hærcies simul cum mercibus Bel-  
gis relinquere studuerunt. Huius no-  
bis sufficiens exhibent exemplum ci-  
uitates Belgicæ, vbi ampla erant em-  
poria, vt pote, quæ præcateris fermento  
hæreseos infectæ fuerint. Vcrum  
inquietos illorum animos, hæ non  
satiarunt, sed omnem (quemadmodū  
in prouerbio est) mouerunt lapidem,  
vt Reipub. status, seditionibus suo lo-  
co moueretur, vtq; susceptis hæresib;  
**Catholica religio** ē belgio exularet.  
Scio quidem nō in oēs hoc vitij cade-  
re. Attamen admodū difficulter, re-  
perias, qui ab omnibus prædictis mā-  
dus comprobari potuerit. Quum ve-  
rò per exteros negotiatores tantum  
dispen-

dispendij Belgæ acceperint, eos tamen  
sic dilexerunt, vt minimè veriti sint,  
suas proles, pignora charissima ijs  
committere, nimirum, vt in negoti-  
andi studio ab ijs exercecentur. Pluris  
vtique facientes huius mundi peritu-  
ras opes, quām filiorum suorum ani-  
mas pretioso Christi sanguine redem-  
ptas, & negligentius ipsis, q̄ ad beatā  
ducūt vitam procurantes, q̄ quæ terre-  
næ & caducæ seruiunt. Quò fit, vt ho-  
die innumeri à parētibus deuoti sint  
huius sæculi negotiationib⁹, & Belgij  
præ cæteris prouincijs mercatoribus  
abundare videatur. Quorum quidem  
industria vt rebus omnibus affuit, sic  
& per eosdem omnia sunt in eo cha-  
rissima. Et sicut per illos in plurimis  
succeditur cupiditas, omnium scele-  
rum parens fœcundissima: Ita chari-  
tas, cunctarum virtutum mater & Re-  
gina sopitur, ac etiam extinguitur. Ad  
hæc per affluentibus Belgarum diuitias,  
ac Mercatorū inanes fabulas, cepit  
iuuentutem desiderium, varias lin-  
guas ac idiomata cognoscendi, pere-  
grinasq̄ue perlustrandi regiones. Cu-

## 98 CAVSÆ CALAMITAT.

ius etiam gratia, parentes nullis pepererunt sumptibus, & lubentes suarū prolium sustinuerunt absentiam, licet illis nimis noxiā & periculosam. Vix sanè quisquam est nobilium, & eorum quibus per facultates licuit, qui non exteris vel incoluerit, vel frequentarit regiones, variaque calleat idiomata. Quod vtiq; Belgicam iuuentutem reddidit lōgē corruptissimam, & plurimi deditam vanitatibus. Desiderijs enim suis exsaturata, postquā bonam consumpsit partem substātiæ parentum, reuercta in patriam, secum aliud nihil retulit (vt est cœca in bonis & procliviis ad mala) quām noxias nationum consuetudines, ac notitiam scelerum plurimorum. Quæ cum alijs (cipiunt enim iuvenes videri, & alijs admirationi esse) referunt, quis enarrare possit, quot & quanta, in animis auditorum scandala seminarint, & quām vehementia plurimis desideria suscitarint, vt similes profectio-nes suscipierent, vt audita perpetra-  
rent facinora, vt pestiferos alienigena-  
rum

rum m̄ores imitarentur. Et hæc certè  
Lacedæmonijs præcauens Lycurgus,  
sanxit legibus, ne quisquam suorum  
subditorum, peregrinas peteret regio-  
nes, néue exterus Mercator, in suam  
ditionem intromitteretur. Sed neque  
Hispani, neq; Germani, neq; Franci,  
neq; Itali, neq; vlli aliarum nationum  
populi, tali vanitate impulsi, Belgium  
exterásue nationes petunt, vt Belgæ  
faciūt. Prorsus admiranda Belgarum  
vanitas, quòd præ cæteris totius orbis  
populis nullis parcant sumptibus, nul-  
lisq; laborib⁹, quin & innumera subi-  
re pericula (hæc quanta sint, innumeris  
testantur, qui huiusmodi susceptis  
peregrinationibus miserè moriuntur,  
antequam dulcem repetere patriam  
(eis detur) parati existunt, vt suis satis-  
faciant vanissimis desiderijs ac cupi-  
ditatib⁹. Insuper diuitiarū omnis gene-  
ris affluētia effecit, vt nullis sumptib⁹  
parcerēt Belgæ plurimi, quo filij cru-  
dirētur, atq; titulis scientiæ eminētio-  
ris insignirētur. Nō quidē vt alios effi-  
cacious crudirēt, vel in vijs dominij, ipsi

certius dirigerentur, verūm vt vel scientiam alijs venderent, quod est cupiditatis : vel vt per doctrinam innotescerent, alijsque admirationi essent, quod est vanitatis ac superbiæ : vel vt difficilium quæstionum, & rerū peregrinarum notitiam haberent, quod est curiositatis. His autem suæ scientię iactis fundamētis, tali studijs suis præfixo scopo (cuius finis malus est, idipsum quoque malum est) nōnne vanū ac euaniendum sit oportet, quod superædificatum est? Nōnne facile fuit bonos ciues huiusmodi vanitatibus superbia, curiositate, & concupiscentia inficere, & innumeram populi (apud quem erant ob speciosos scientię titulos admirabiles) multitudinem in abissum malorum demergere? Fuerunt autem & alij diuites Belgæ, qui suas proles bonis tantum literis Græcis pariter & Latinis crudiri curarūt: quas postquā perfectè perdidiscerant, illasque eleganter, ac plausibiliter sonare norant, minimè satagerunt, vt perfectioribus studijs animum applicarent. Vnde consequutum est, vt nihil

hil sentientes difficultatis in scientia,  
quam optimè callebant, alias omnes,  
etiam Theologica dogmata, Rheto-  
rum & Philosophorum præceptis me-  
tiri voluerint. Quin & eo dementiæ  
peruenerunt, vt qui ab istis paululum  
recedebant, contemnere ac irridere,  
quātumuis doctos ac pios nequaquā  
dubitarent, primis inflati veræ scientiæ  
rudimentis. **Qua** quidem inflatione  
innumeritales sciolii in hæreses bar-  
trum præcipitati sunt. Melior certe  
est homo (vt docet Sapiens) qui minu- Eccle. 19.  
itur sapientia, & deficiens est sensu in  
timore Dei, quam qui abundat sensu,  
& transgreditur legem altissimi. Vn-  
de Apostolus: Non alta sentientes, sed Rom. 12.  
humilibus consentientes. **Quid dicā**  
de multitudine aduocatorum, causi-  
dorum, procuratorum, excogitati-  
um subtilitates infinitas, vt in marsu-  
pia sua æs procurarent Belgarum.  
**Qui** sua garrulitate veritatem nebulis  
offuscare diligentissimè student. **Qui**  
meritis cauillationibus dilationes vari-  
as extorquent, vt tædio partem aduc-  
sam afficiant. **Qui** iustitiam iniquitati-

postponere contendūt. Qui plurimas parum ad rem referunt ratiunculas, leges, constitutiones, Principum edita, plebiscita, Senatuscōsulta, prudētum responsa. Allegant insuper casus, sententias, authoritates in Infortiato, ex Bartholo & Baldo. ( vt aliquam causis, quas lucri non iustitiæ amore defendunt) veri obtendant ymbram, quo scilicet iudicum fascinēt oculos, & suorum clientum crumenas potentiis exhaustiant. Quid quæso his scele-ratius, quidūe nocentius? Quæ Resp. subsistere potuit, vbi ista plus momen-ti, quām Iustitia causæ, habuerunt? Vbi summum ius, summa fuit per eos iniustitia? Vbi causæ desperatissimæ, sententia iudicum illorum cauillatio-nibus s̄epius iustificabantur, æquissimæ vero damnabantur. Quod plebs dum vidit, ac sensit fieri, nihil non vo-care in controuersiam, seu litem est ausa, magis vtique suorum aduocatorum & procuratorū astucijs ac technis confidens, quām causæ æquitati ac iustitiæ. Vnde factum videmus, vt plures ante has turbas uno anno lites susci-

fuscitarentur, quām quondam spacio quadraginta, vel etiam quinquaginta annorum. Adeoq; plures in vna ciuitate, quam oīm in omnib<sup>9</sup> vnius provinciæ reperirētur aduocati & procuratores immēso ære, vendentes causarum patrocinia. Factū etiā est, vt ad uocatione ac procuratione, quæ præteritis temporib. non sufficiebant ad vitę alimēta, ppaucis subministrāda, iā pluri immētas diuitias accumulaterint.

Quod lucri gen<sup>9</sup> etiā Aethnicis maximē fuisse odiosum, docet illud Ouidij.

*Turpereos empta miserios defendere lingua,*

*Quod faciat magnas turpe tribunal opes.*

Et hæc quidem sint dicta, non de ijs, qui iustitiæ afflictisq; ex animo patrocinantur, quos summa dignos laude cēsco. Ferè præterieram per diuitias evenisse, vt veri nobiles Belgij, seu qui auorum suorum imaginibus clari erāt, discerni vix potuerint à diuitibus, qui dum sibi nobilitatem vendicare volunt, eadem cum illis nobilitatis insignia, exterius gestant: etiam si eorū aui vel paui ignobiles, & ex infima plebis fece fuerint. Mercatores, cerdones

sutores, lanarij, & similes conditionis  
abiectissimæ hominæ. Quos si domi-  
nos appellaueris, ignominio ducunt:  
vult enim istud superbissimum homi-  
num genus vocari, Monsieur, atque  
etiam vestibus vti nobilium, gladijs  
( quorum usus ad Ecclesiæ & patriæ,  
viduarum, pupillorum, & oppressorū  
defensionem, nobilibus est concessus,  
non autem ad inanis gloriæ ostenta-  
tionem) accincti semper incedere: de  
suorum auorum insignijs claris, nem-  
pe recenter ex famo erutis, frequētius  
differere. Quasi verò in illis exteriori-  
bus, & non potius in virtutum exerci-  
tio consisteret verum nobilitatis de-  
cuss: hacque sola ratione non esset ac-  
quirendum. Atque hinc euénit, vt  
pars maxima similiū nouorum No-  
bilium (ferè dixeram nebulonum) dū  
nobilitatem Regia virtutis via non  
querit, sese deuoueat vanitatibus, lu-  
sibus, aleis, ebrietatibus, tripudijs, im-  
pudicitijs seständis, vtque cæteros, li-  
cet se meliores, facile contemnat, vt  
relictam à parentibus substātiā ab-  
liguriat, & dolis ac technis adeoque  
non-

nonnunquam incantationibus, fœminas ac puellas in sui amorem pelliciat, vt se ocio pñcioso dedat, huc illuc incertis vagans gressibus. Vnde merito illud Horatij decantare posset:

*Nos numerus simus, & fruges consumere nati,  
Sponsi Penelopes, Nebulones, Alcinoiq;*

Horat. epi-  
stola 2.

*In cuius curanda plus aquo operata iuuentus,*

*Cui pulchrum fuit in medios dormire dies,*

*Ad strepitum cytharae cessatum ducere curam.*

Et hæc quidem aliaque eius generis abominanda, dum studioissimè se-stantur eiusmodi tenebriones, Epicuream agentes vitam (quorum sanè in multis ciuitatibus maximus fuit numerus) quis dicat, quantopere Dei iram in se, totumque Belgum suscitaruerint, & quanto Dei timori corripi meruerint. Nónne dignum fuit, vt illorum luxus fastusque, per opes, irritamenta scelerum suscitati, reprimarentur, atque etiam penitus dearentur, vt dicti histriones omni amis- sa substantia humiliarētur. Cæterum cum scelera hæc aliaque plurima, occasione diuturnæ pacis, & diuitiarum in Belgio affluentium ortum sumpse-

H 5 rint;

rint; quin & grauiora temporis successu imminerent, debuerant vtiq; Belgæ ex illis cognouisse Dei indignationē, breui sequunturā, & vindicem eius manum se sensuros, nisi maturè à consuetis concupiscentijs, ac vanitatibus resipiscerēt. Ut enim cœlum maximè pacatum, & aér nullis exagitatus ventis, esse prognosticon tempestatis] breui futuræ solet: Ita rerum omnium affluentia, & longa trāquillitas temporū, erat prænuncia Belgicum populum, per varia diffluentem vitia, breui puniendum. Quid? Num quoties Israëlitæ leguntur traditi in manus inimicorum suorum, & grauius afflitti, id factum fuit, postquam ditati ac diuturna fructi pace, Dei obliti fuerāt, & suæ sequuti cōcupiscentias? Certè quomodo animalia deficiunt, & contabescunt ocio multo, & sagitatione nimia, laboribus verò & pastu moderatis roborantur: Ita homines terrenorum abundantia, & rerum omnium prospero successu pro libitu fruentes, Dei ac sui obliuiscūtur. Quo fit, vt spiritu semper magis ac magis frigescat,

at-

Videlib.  
Ind.

atq; à veritate alienentur, quapropter  
& calamitatibus inuoluentur. Ut tētes  
vero illis frugaliter, cum gratiarum a-  
etione, ad suam & aliorū necessitatē,  
indubie à Deo virtutibus ditantur, spi-  
rituq; proficiūt: atq; in vijs domini in-  
offenso pede dirigūtur. Nunquid hu-  
iusmodi exēplis & veteris & noui testa-  
mēti scripturæ abundāt? Nōnne quod Ec-  
clesiasticas scripsere historias, docent  
purgandorū peccatorū causa, Deū secundum  
pius permisisse, infidelū des&ire per-  
sequutionē in Catholicos? Quid mirū  
igitur si & nostro seculo propter nimiū  
fastū, ac luxū, idē sentiamus ac patia-  
mur? Quinimò confiteri necesse est,  
Deū nostrū hac̄ten erga nos summa  
veritatem misericordia. Etenim primū lu-  
xuriantes Belgas refrenare aggressus,  
hæreticorū cōuēticula, nocturnas cō-  
ciones, imaginū cōfractio[n]es, altariū,  
& quicquid ad diuinū cultū spectabat  
euersiones, Sacerdotū prosequitiones.  
pariter & religiosorum accidere per-  
misit: à quibus breui post insigniter  
per Illustrissimā Gubernatricem Du-  
cissam de Parmes, ac etiam per Du-  
cem Albanum Recip. perturbatores

Euseb. li. 8.  
ca. i. & seq.

repressi fuerunt. Cum autem isthæc prænuntia miseriarum præsentium, Belgis parum aut nihil profuisse Deus animaduertet, alia via eos refrenare est conatus. Vt pote militum licentia maximè graui ac luctuosa, qui non modo immensam exhauserunt Belgarum substantiam, sed etiam plurimos inhumanissimè afflixerunt. Verum cum nec his quidem flagellis, quisquā redderetur melior, quin potius omnes ita se gererent, ac si Deum ignorantes, absque diuina prouidentia res agi arbitrarentur, Deus tandem vtrice manu, vniuersam Belgij deiecit gloriam, omnesque eius perdidit diuitias, atque pacem illi cum intestinis bellis commutauit, quibus

*Lucanus.* Nobilitas cum plebe perit, lateq; vagatur,  
Ensis, & nullo remocatum est pectore ferrum:  
Stat crux in templis, multaq; rubentia cæde  
Lubrica saxa madent: Nulli sua profuit atq;

Porrò, his alijsqué calamitatibus nimis frequenter (proh dolor) repetitis, occasionem dedit diurna temporalium possessio, aduersitatibus cærens, cum corundem abundantia. Ex qui-

quibus mox prodiere luxuria , pestis  
blanda , & eiusdem nutrix ebrietas ,  
quarum fouendarum gratia factus est  
ardentior terrenorum accumulan-  
dorum amor : Vnde tot tantæque v-  
suræ in Belgio statim prodierunt , vt  
plura & maiora lucra , non modo à  
publicis fœnectoribus , sed etiam  
ab alijs plurimis , ex pecunijs mutuo  
datis , fierent , quām ex vllis aliarum  
rerum commercijs . Omitto quod  
præ cupiditate nimia , innumeri Bel-  
gæ , tantopere pecunijs . ( Crescit a-  
mor nummi , quantum ipsa pecunia  
crescit) fuerint affecti , vt per fas nefas-  
que toti intenderint multiplicandis  
redditibus , agris , domibus , ac domi-  
nijs , necnon maximè sordidis lucris  
honestæque conditioni nequaquam  
decentibus . Atq; dicta Idolorum ser-  
uitute Belgarum corda possidente , e-  
os cœpit spiritualium ( vbi enim the-  
saurus tuus , & ibi cor tuū ) omniū , ac <sup>Math. 6.</sup>  
diuinorum fastidium & contemptus .  
Paucis effecit diuitiarum amor , vt de  
Belgio dici posset ,

*Auro pulsa fides, auro venalia iura.*

*Anno*

## 110 CAVSÆ CALAMITAT.

*Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

Deut. 32.

Quapropter illinc etiam euénit, vt optimè Belgis competeret illud Moytis: In crassatus est dilectus, & recalci-trauit. In crassatus, impinguat<sup>9</sup>, dilata-tus, dereliquit Deum factorem, recef-sit à Deo salutari suó. Prouocauerunt eum in dijs alienis, & in abominatio-nibus suis, ad iracundiam concitarūt. O ter quaterque abominanda sagina-tio, quæ lasciuiens, nec ipsi Deo peper-cit, & recalcitrans, in Deum saluatorem suum calces impegit? Ex eadem denique malorum lerna, prodijt non minus effrene, quām execrandum li-bertatis desiderium, de quo differen-di hic se offert locus nec inopportu-nus.

*Delibertate quam affecta-runt Belgæ. Cap. XIII.*



Idendum autem primò quæ sit libertas, quam tan-to animi desiderio vulgus exoptauit, pro qua rerum omni-

omnium adeoq; salutis iacturam facere, nequaquam dubitauit. Ea profecto est, qua volebant, vt à legibus voluntates hominū prauas, carundemque actiones peruersas coērcentibus, atq; etiam à supplicijs ob legum prævaricationem à potestate legittima inferendis eximerentur. Est inquam libertas, qua populus Magistratu, ac nobilibus patriæ abiectis dom, inationē affectat, & authoritatem apud se leges pro placitis vel mutandi, vel tollendi, vel nouas constituendi esse contendit, & qua cuique liberum sit, in religione, quod lubet sectari, & pro animi voluptate absque aliquo legum metu conuersari. Hac autem libertate, pro qua Belgarū pars maxima fortissimè decertat, quid quoſo nocētius à vulgo desiderari, quid pestilentius obtineri potuit? Nunquid talē affectates libertatē, pueris meritò assimulan tur, qui à pædagogia, vel pedagogis liberari cupiunt, vt pro animi voluptate huc illuc vagari liceat, & qe quid lubet audere? Vel poti⁹ egs cōparentur indomit⁹, q modis omnib⁹ frena reiſceret,

ac seſſorem excutere conātur, vt quo-  
cunque trahit concupiscentiæ illece-  
bra, præcipites nullo prohibente pro-  
ruant. Quid? Num libertate obtenta,  
leges, quibus ante hos tumultus, tan-  
quam pædagogus in officio contine-  
batur, abiecit populus? Num & Magi-  
ſtratum, & omnem dominationem li-  
ber factus contempsit? Num quidli-  
bet ſpe impunitatis illectus aggredi  
non eſt ausus? Num ſicut equus & mu-  
lus fuas effrenes ſequutus eſt concipi-  
ſentias? Notiora ſunt, quæ libertate  
concessa per totum contigere Belgiū,  
quām ut exemplis doceri debeant.  
Prorsus qui iſtam libertatem nunquā  
ſatis execrāndam tantoperè affecta-  
runt, nihilq; non machinati ſunt, do-  
nec ea concederetur, quæ illam con-  
sequuta ſunt facinora impia manife-  
ſtissimè ostendunt, eos intendiſſe au-  
thoritatē conuellere iudicū, Re-  
gis abolere dominationem, Principū  
labefactare statuta, patriæ infringere  
consuetudines, omnem denique de-  
lere atque foedare Reipub. Belgij pul-  
chritudinem, quę conſtat ex varietate  
ſta-

statuum, officiorum, & conditionum hominum, quemadmodum diuersitate membrorum atque functionum corpus humanum. Non est proinde (teste D. Augustino) gratulanda libertas, qua sit ut non reddatur, quod cum fructu redderetur. Neque etiam Apostoli <sup>Gal. 5.</sup> tales docuerunt. Vos (ait Apostolus) in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasione detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Et ad Romanos, Omnis anima (inquit) potestatis <sup>Rom. 14.</sup> sublimioribus subdita sit: Non est nisi a Deo. Quae aut sunt, a Deo ordinata sunt: Itaque quod potestatis resistit, Dei ordinatio resistit. Qui autem resistit, damnationem sibi acquirit. <sup>1. Cor. 7.</sup> Item alibi: Vnusquisque in ea vocatione in qua vocatus est permaneat. Seruus vocatus es, non sit tibi curæ. <sup>1. Pet. 2.</sup> Et D. Petrus: Regem honorificate, servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. <sup>1. Cor. 9.</sup> Quin etiam Apostolus de ipsis testimonium prohibens, Cum (inquit) liber essem ex o-

I mni-

mnibus, omnium me seruum feci, vt omnes lucrifaccerem. Innumera pos- sent huius generis adferri, quibus Apo stolos prædictæ libertati (quæ verius corruptionis seruitus dicatur) contra- ria docuisse ac fecisse, apertissimè con uinceretur, sed superius adducta in præsentiarū sufficient. Siquidem præ dictam libertatem tot certum est Bel gio peperisse, tamq; execrada scelera, vt iniquitatē eius ex malis quæ in Bel gium inuexit, quiuis clarius sit perspe cturus, quam verborum quantumuis magna cōgerie, aut scriptis patrū, vel etiā ipfissimē sacris scripturis. Quid? Alijsne solum nocuit tantopere appetita libertas, & non illisipfis, qui eadem gaudent? Imò verò ijs vel maximè, vt pote q̄ suos cultores redegerit ad ser uitutem grauissimam: libertas enim libertate perit. Quod scientes Bactræ

*Res fert Pōp.  
Trog.*

Romanis subiecti, cùm libertate do narentur, libertatis conditionem re spuerūt, quòd sicut aiebant, ea die qua in libertate constituerentur, scirent se aliquid commissuros, cuius causa in duriorē seruitutem redigerentur. Nisi

ve-

veritas odium pareret, multas Belgij  
ciuitates meruisse, dicerent non dubi-  
to nonnulli, vt ex ipsa libertate, quam  
per fas nefasq; sibi vendicarunt, in gra-  
uiorem seruitutem conicerentur. Ea  
namq; libertatis est conditio, vt à plu-  
rimis desideretur, paucissimis vero sit  
vtilis: vt multi illam quibus possunt  
studijs prosequantur, ac penè nulli ea  
obtenta benè vtantur. Huius sufficiēs  
Flādrię Metropolis exhibet exemplū.  
Nunquid illa Gandensi pacificatione  
suis priuilegijs restituta, mox horrēda  
facinora est aggressa, & etiam nūc co-  
operantibus hæreticis & Geusijs mili-  
tibus, similia frequētius repetit. Qua-  
re iugum decuplo durius, eo quod su-  
orum priuilegiorum prætextu excus-  
fit meruisse, nemo est qui negare au-  
deat. Quęso nunc , diruēdo castrum à  
fœlicis memoriæ Carolo V. erectum,  
capiendo Patriæ Primates, & maximè  
in Episcopos iniiciēdo man⁹ violētas,  
templa euertendo , sacra omnia pro-  
phanando , ciuitates Flandriæ ferè o-  
mnes sub suā dominationem redigen-  
do, aliaq; id gen⁹ plurima iniquissimè

perpetrando facinora ad sui vindictā  
Deum & Regiam Maiestatem , adeo-  
que totum terrarum orbem, eiusmo-  
di sceleribus prouocauit ? Nónne vbi  
nulla est subiectio, seu vbi est libertas,  
quam dicta Metropolis affectauit : Ibi  
Rex in nullo esse loco videtur : & vbi  
Rex contemnitur : ibi leges nullæ vi-  
gent: vbi vero leges cessarunt, ibi iusti-  
tia non exercetur : vbi autem non est  
iustitia, ibi exulat pax: Vbi pax nō est,  
ibi perpetuum est bellum: Vbi Bellū,  
ibi omnia confunduntur, & sursum  
deorsumque iactantur. Vbi verò om-  
nia confusa, ibi nulla Respub. existere  
potest, Vbi autem ista inueniuntur i-  
bi impunè crudelissima exertentur la-  
trocinia, cedēs, rapine, deprædatiōes,  
omniumque euersiones bonorum.  
Ibi Barbarorum potius more ac Tur-  
carum viuitur, quām Catholicorum  
seu Christianorum. Ex quibus sanè li-  
ceat colligere, quām inconsultè frena  
populo sint remissa, & cōcessa eidem  
(ē heu) omnis noxia libertas. Præser-  
tim cum ea sit infirmitas corruptæ na-  
turæ, vt sibi relicta statim scelerum vi-  
ana

am ingrediatur, quibus semel degusta-  
tis, vix vnquam ad rectam reuertitur,  
vt pote cui semper,

*Quod licet ingratum est : quod non licet acris  
vrit,*

Quanquam verò ista sufficient ut fi-  
dem faciant, dictam libertatem vel  
maximè esse reprobandam, attamen  
non abs re futurum existimauit si ad-  
huc pauca adderem prædictis. Imprin-  
mis quemadmodum medici indulgē-  
tia(hoc de ægri conualescentia despe-  
rantis est iudicium) infirmos minimè  
curat, sed ægritudinis potius furori  
exponit. Ita peruersos & ad scelera  
propensos populos peccandi licentia  
non emendat, sed contra & propensi-  
ores ad malum & peruersiores reddit.  
Mali homines ( inquit Apostolus ) &c. Timot. 3.  
seductores semper proficiēt in peius,  
errantes, & in errorem mittentes De-  
inde cum gigendis malis ferax sit &  
fœcundum ingenium humanum (sen-  
sus enim & cogitatio humani cordis  
in malum prona sunt ab adolescentia  
sua) idem ad malum licentia facillimè  
inficitur, longe autem facilius consue-

Gens. 8.

tudine illorum qui simili licentia per-  
 trouer. 13. fruuntur. Amicus enim stultorum si-  
 1. Corin. 15. milis efficitur. Et corrumpunt bonos  
 mores colloquia prava. Etenim corru-  
 ptela male cōsuetudinis extinguitur  
 igniculi à natura dati: exoriuntur ve-  
 rò & confirmantur vitia contraria.  
 Istud autem benè intellexerunt Prin-  
 cipes Israël , respondentes Samaritis  
 infidelibus, volentibus cum Israëlitis  
 omnipotēti Deo templum ædificare.  
 Non est (inquiebat) vobis & nobis, vt  
 ædificemus domum Deo nostro, sed  
 1. Edix 4. nosipſi soli ædificabimus Domino  
 Deo nostro, sicut præcepit nobis Cy-  
 rus Rex. Præterea quid pestilentius,  
 quàm impunitatem sperare post im-  
 pia commissa facinora? Et hanc sanè  
 libertini impie per libertatem ſibi cō-  
 cedam, & authoritate Senatus firma-  
 tam arrogant. Adhæc effrenem licen-  
 tiam (qualem illi exoptant) cuilibet  
 facere, quid quæſo aliud eſt, quàm ex  
 domo Dei extruere speluncam latro-  
 num? Quàm Ecclesiā omni tranſe-  
 unti proſtituere? Quàm Babylonem  
 ex ea ædificare; quàm coram filijs Dei

seminare scandalum quām pro æquitate docere iniquitatem? quām denique leges iniustitiae condere pro iustitiae legibus? Adde quod tali licentia Deus non placatur, sed è contra vel maximè ad vindictam irritatur, atque prouocatur. Quod ex verbis Dei ad Apocal. Angelum Ecclesiæ Tiatiræ facile intelligitur: Ab eo (inquit) aduersum te pauca, quia permittis mulierem Hizabel docere, & seducere seruos meos, fornicari & manducare de Idolothytis, & dedi illi tempus ut pœnitiret, & noluit pœnitere à fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum, & q[uo]d mœchatur cum ea, in tribuatione maxima erunt. Quid? Nōnne in maximis sunt angustijs & tribulationibus, tum qui semel se effreni licentiae deuouerunt, tum qui sese eiusmodi libertinis coniunxerunt? Nunquid hodie expilantur, roduntur, exfugunt, excoriantur, dilariantur, consumuntur ab illisipsis, per quos libertatem affectarū, ijs inquam qui seruos Dei doctrina seducunt insana, varijsq[ue] spiritualibus polluūt fornicationib[us],

suadentes manducare de Idolothytis Lutheri & Caluini, similiūmque fal-sorum doctorum. Quorum confor-tia atque colloquia ut toto fugiamus conatu, nos grauiter admonet per A-postolum Dominus. Exite(ait) de me-dio eorum & separamini, & immun-dum ne tetigeritis, & ego recipiam

**2. Corin. 6. vos.** Quibus concinunt hæc Apostoli verba. Nolite ingū ducere cum infide-libus: Quæ enim participatio lucis ad tenebras? Quæ autem cōuentio Chri-sti ad Belial? Et Moyses: Recedite à ta-bernaculis impiorum hominum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne innouaini in peccatis eorū. Pro-inde non potest in eadem Repub. con-fistere, licentia male agendi superiori potestate firmata, cum benè agendi libertate, pro qua sola militare om-nes leges debent. Siquidem ( teste Sal-lomone ) abominantur iusti virum impium, & abominantur impij eos qui in recta sunt via. Et hinc perpetuæ inter eos sunt suspicione, sinistre, con-tentiones, & factiones: Iстis conanti-bus Rempu. perdere, illis consruare

Num. 16.

Hierem. 51.

Isaiæ 52.

Pro. 29.

ac defendere. Homines ( inquit Sapiens ) pestilentes dissipant ciuitatem: Sapientes vero auertunt furorē. Paucis , simulatque licentia quidlibet audiendi aduersus legitimam dominationem vel religionem Catholicam inuasit populum , omnia hæc à regno simul exulare cogūtur, leges, Rex, Sacerdotes , sacrificia, oblationes, ceremoniæ diuini cultus , & loca sacra. Quæ tanquam connexa & quæ separari nequeant, refert Daniel omnia simul Israëli merito peccatorum fuisse ablata . Non est ( inquit ) in tempore hoc Princeps & dux & Propheta, neque holocaustum , neq; sacrificium, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam. Considerentur quæ tam in Flandria , quam Hollandia , & Zeelandia gerūtur, & erit clarissimum, illa simul omnia esse proscripta, & vix nullum istorum superesse vestigium: Nec ullā eorum publicè fieri mentionem, nisi solum cōtemptus ac blasphemiarum causa. Nec mirum eò scilicet miseriæ ac dementiarum Belgas quosdam deuenisse,

Daniel 3.

## 112 CAVSÆ CALAMITAT.

vt Regem suum longè elementissimū abnegauerint, qui prius Deum sacraq; omnia abiicerint. Siquidem Regis reverentia amor & obedientia, in subditis esse nullo modo queunt, nisi per Dei timorem, amorem, & humilem subiectionem, ipsorum corda eo moueantur. Dicamus itaq; cū D. Hilario, Fieri non potest, nec ratio patitur, vt repugnantia congruant, dissimillima conglutinentur, vera & falsa miscean-  
 tur, lux & tenebris confundantur, dies quoq; & nox habeant aliquam coniunctionem. Angustum est (inquit I-  
 saias) stratū ita vt alter decidat, & pallium breue, vtrunq; cooperire nō po-  
 test.

Isaiæ 28.

*De conniuientia Magistra-  
 tuum. Cap. XIII.*

**H**Aec tenus de libertate non minus perniciosa quām detestanda, se-  
 quitur vt deinceps agamus de conniuientia, seu indulgētia Senatus quo-  
 rundam locorum, ac nonnullorū Ec-  
 clesiæ Prælatorum somnolentia: quæ  
 non

non parum flammæ horrendis sceleribus populi licētia perpetratis addidisse videntur. Hi enim dū sua negligunt officia, & securi in ytranq; aurem dormiunt, hoīs inimicus innumera zizania in medio tritici seminavit. Quæ quidem breui tempore illius studio tantum succreuerent, ut triticum omne excesserint, ac penè totū extinxerint. Sanè cum Ecclesiæ pastores nocturnas super suo grege vigiles agerent excubias, atque cum omni sollicitudine subditis præcessent, & ciuilis quisque Magistratus nihil cum facinorosis & maximè hæreticis, omnium sceleratum nocentissimis dissimularet, disciplinæ legumq; Imperialium aduersus huiusmodi hominū pestes tenax: Tūc equidem in Belgio eminebat, & florescens fructus suauissimos edebat: gratissimosque odores triticum. At postquam somnolentia fuere oppressi, ac negligentia tabefacti, confusa ilico sunt omnia; quos subesse oportuerat, imperare ac dominari cœperunt, adeq; suos legitimos Dominos perseq. Omnis deniq; in populo disciplina, &

Matt. 13.

pariter vniuersa obedientia evanuit:  
Quemadmodum enim arcum inten-  
 sio frangit, ita etiam animum remis-  
 sio. Et hac quidem ratione sic multi-  
 plicata sunt zizania, ut Christi regno  
 ex multis Belgij prouincijs proscrip-  
 pto, nunc Sathanismus (ut sic loquar)  
 solus regnare videatur. Scilicet dum  
 Belgarum pars maxima Ecclesiam  
 matrem suam ac veritatis magistrā,  
 hæresibus varijs cōstuprare, omnem-  
 que abijcere dominationem, & in ex-  
 ecranda flagitia se se p̄cipitare nitit-  
 tur. Consultius proinde Magistratus  
 subditos refrenassent, arguissent, ac  
 etiam pro officio acrius corripuissēt,  
 quām habenas laxando illos tantæ  
 iniquitati noxios conniuendo reddi-  
 diffissent Quod indulgentiæ genus, quā  
 graue sit crimen, Apostolus explicat.  
 Digni (inquiens) sunt morte, non so-  
 lum qui mala faciunt, sed & qui con-  
 sentiunt facientibus. Consentiunt ve-  
 ro, qui cum possint, & ex officio tene-  
 antur, non tamen impediunt. Quem-  
 admodum enim, ut ait D. Chrysostomus,  
 non ipsi tantum fures dant pœ-  
 nas,

Rom. i.

D. Chrysostomus,  
in oratio.

nas, verum etiam eadem poena plectū- prima con-  
tur ij, quibus cum esset potestas vetan  
di, non vetuerūt tamen. Ita non solū  
qui impiè agunt, verum etiam illi qui  
cum possint ab impietate reuocare,  
tamen ob pigritiam vel ob timiditatē  
id facere nolunt, simili cum illis poe-  
na plectuntur. Vnde & in Codice per  
leges Imperiales simili poena cum hæ-  
reticis puniri iubentur, prouinciarū  
rectores & iudices, qui cum grassanti-  
bus hæreticis dissimulant, ac etiam au-  
licos, quorum auxilijs, fauore ac de-  
fensione illi nituntur. Quid? num scri-  
ptura peccato & poena eos obnoxios  
testatur, qui correptionem peccantiū  
negligunt, vel etiam dissimulant? Au-  
diamus quid ipsem et Deus de eiusmo  
di statuat: Quod si (inquit) populus Leuit. 20.  
terræ negligens, aut quasi parui pen-  
dens meum imperium dimiserit ho-  
minem, qui dedit de semine suo Mo-  
loch, nec voluerit eum occidere, po-  
nam faciem meam super hominem  
illum & cognationē eius & succendā  
illum, & omnes, qui consenserunt illi  
ut fornicarentur cum Moloch de me-  
dio

dio populi sui. Verè quod Dominus  
hic minatur, hac tempestate imple-  
tum esse in Belgio, mille exemplis do-  
ceri possit. Vbi enim desunt, qui Se-  
natus autoritatem segnius admini-  
strantes, & qui quippiam iniuste con-  
senserunt hæreticis, alijsq; Reipub.  
perturbatoribus, & iusto Dei iudicio  
non sunt succisi, in exilium acti, ad  
summas cum sua cognatione miseri-  
as redacti. Pari ratione nunquid & plu-  
rimi Ecclesiæ Præpositi, cum subditis  
huc illuc fugati sunt, perditis omni-  
bus in quibus prius luxuriabantur, &  
ita ijs erant immersi, ut pastoralis cu-  
ræ penitus obliuiscerentur. Quæ sanè  
mala facile à se, & à subditis auertis-  
sent, si disciplinæ fuissent tenaciores,  
ac legum obseruantiores. Sunt enim  
facinorosi homines maximè timidi, si  
vigilantes acresq; scelerum vindices,  
suos iudices senserint. Semper enim  
(teste scriptura) præsumit sœua pertur-  
bata conscientia. Contrà vero fiunt  
audacieores, confidentiores, peruica-  
tores, contumaciores, quum faciles,  
lenes, meticulosos, ac negligentes, seu  
vitijs

vitijs diffuentes, rectores suos experuntur. Vbi enim non est gubernatio (ait Sapiens) populus corruet. Et alibi: Pro. 29.  
 Virga & correctio tribuunt sapientiam:  
 puer autem, qui dimittitur voluntati suae, confundet matrem suam. Vnde non male dixisse videtur, qui ait:

*Proclivior vesus*

*In peiora datur, suadetq; licentia luxum,  
 Illecebrisq; effrena fauet.*

Falsa proinde est & crudelis indulgentia, qua subditis permittitur, ut deterriores fiat. Molestus quidem est, medicus August. e. furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cedendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa & crudelis est. Sed in tanta tempestate, dicunt fuisse tempori seruendum, ac populi furori cedendum: Quod faciendo, se à recta ratione non recessisse asserunt. Quo quidem modo non solum, qui indulgentius egerunt cù suis subditis, dissimulando quæ corrigi debuerant, excusationem prætexunt. Verū etiam, q nullā pressi necessitate fuga sibi ipsi con-

consuluerunt, luporum rabici, seu  
inimicorum prædæ subditis relictis:  
Mihi certè (vt ingenuè quid de his sen-  
tiam eloquar) neutri probantur. Ete-  
nim qui authoritate valebant, & ini-  
quitatem si non extinguere, saltem  
reprimere ac refrenare poterant, ac  
debuerant ratione sui officij, in id o-  
mnes conatus & vires intendere, ad-  
eoque vitam ipsam profundere poti-  
us tenebantur: quām suo muneri ali-  
quatenus deessent. Bonus cñim pa-  
stor animam suam ponit pro ouibus  
suis. Quod tum cuique studio esse de-  
bet, cum lupi & facinorosi quiue ou-  
ium direptioni inhiant, quales initio  
harum turbarum si vñquam alias,  
innumerri fuerunt. Quibus quoniam  
principio non restiterunt pastores,  
& se tanquam murum perditorum  
nequitijs minimè opposuerunt, qui  
inter cæteros authoritate valebant,  
nōnne grex Domini dispergi, deglubi,  
mactari est visus. Id præscientes, quib⁹  
studium fuit perdere & perdi, optabi-  
lius eis nihil accidere poterat, quām  
vt loco cederent, qui ipsorum inqui-  
tatem

tatem perrumpere valebant. Sic enim futurum sperabant, ut qui remanserant, facilè ad similem fugam perseguitionibus adigeret, vel calumnijs mendacibus illis os obstruerent: Vel denique ut populi seditionibus, auctoritate illos priuarent. Quæ quidem factu non ita facilia eis fuissent, si unanimi consensu, tam ciuilis quam Ecclesiasticus Magistratus, pro virili irrepentri nequitia, uti tenebantur, fese obiecissent, ac pullulasces antequam præualuisset malum eradicare funditus studuisset, iuxta illud vulgo tritum Ouidij carmen,

*Principijs obsta, sero medicina paratur.*

*Cum mala per longas innaluere morat.*

Quod autem aiunt, indulgentius tempori seruiendo (istud non paucos allegas; audiui, cum sui officij monerentur) cum populo fuisse agendum: non alia refutatione indiget, quam commemoratione malorum, quæ ex tali indulgentia prodierunt. Verum quis ea enumeraret. Facilius profecto est deplorare, quam vel cogitatione concipere, quæ vulgus facta sibi licetia per-

petrauit. Non equidem laxatione ha-  
benarum sit populus melior, sed refræ  
natione potius. Sicut enim indulgen-  
tia medici, cęgroti non sanantur, sed ri-  
gidiori dietę obseruantia: Sic nec ciui-  
tates, nec patria, legum remissione ser-  
uantur, sed exactiori earundem obser-  
uatione. Quæ cognoscens Lycurgus,  
ciues suos sanctis legibus arctius obli-  
gare, omniq; virtutum genere instru-  
ere studuit: Vt & Numa Pompilius, ti-  
more Deorum. Existimabant vtique,  
quanquam Ethnici, hæc media esse  
efficacissima, ad Respub. firmandas,  
ac patriam contra hostiles incursus  
defendendam, adeoq; ad concordiam  
inter ciues retinendam. Quæ omnia  
Senatoribus Christianis longè maxi-  
mè cordi esse debent. Huius causam a-  
perit Demosthenes: Si, inquit, cuiuis  
licentia faciendi quicquid voluerit,  
data sit, non solum Respub. pessum i-  
bit, sed nec quicquam intererit, inter  
nostram & ferarum vitam. Quapropter  
timore legum ac iustitia, non au-  
tem indulgentia, quæ mentis corpo-  
risque frangit neruos, Belgici Magi-  
stra-

stratus sibi subiectos cohibere, & ad meliora reuocare debuerant, si ritè suo munere fungi, ac decenter venerationi populo esse. Imo & authoritatem, quam à Deo & Rege ad bonum & salutem populi acceperant, si debite seruare placebat: Ad quodeos hortatur Sapiens, dicens. Aufer impi- Pro. 16.  
etatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius. Et alibi: Pro iii. Eccl. 4.  
Iustitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. En quomodo inimicos, quorum timore indulgentius egerunt, & corundem grauissima scelera dissimularunt, effugare potuerunt, nimirum fortiter decertando pro veritate & iustitia. En rursū causā, cur inciderint in man⁹ inimicorū crudelissimas. Quid nēpe illos metuerint, quos timere nō oportuerat: eū verò q̄ solus timēdus est paruipēderint, & ipsius leges, honore, beneficia penit⁹ neglexerint. Hinc iusto Dei iudicio, ipsis timor euenit, quē timebāt. Gens q̄ p̄e absq; cōfilio, & sine prudētia nō intelligēs, neq; no

Pro. 3.

ma sua prouidens. O si habuisset per-  
suasum, Dei esse iustitiam quam admi-  
nistrabant, & omne ab eo prouenire  
consilium, prudētiam, fortitudinem,  
quibus in sui officij administratione  
vel maximè egebant. Si etiam persuasi-  
fuissent, diuitias, gloriam, opes super-  
bas ( quarum acquirendarum gratia  
multi, proh dolor, indulgentius ege-  
runt, quin & plurimi hæreticis volue-  
runt videri fauere.) Si, inquam, illa à  
Deo esse præudentes summis peti-  
sent precibus, ijs ad Dei gloriā & pro-  
ximorum salutem donari, non utiq;  
illi nobiscum hisce calamitatibus in-  
uoluerentur. Mecum ( inquit Sapien-  
tia diuina ) est consilium & æquitas,  
mea est prudentia, mea est fortitudo,  
per me Reges regnant, & legum con-  
ditores iusta decerunt. Per me Princi-  
pes imperant, & potentes iustitiam  
decernunt. Ego diligentes me, diligo,  
& qui manè vigilauerint ad me, inue-  
nient me. Mecum sunt diuitiæ & glo-  
ria, opes supbæ, & iustitia. Aequissimo  
proinde Dei iudicio est factum, vt fa-  
cilitatib<sup>9</sup>, diuitijs, gloria, ignominio-

sc

se exuerentur, qui verum illarum donatorem deserentes, ab ijs expetiueret  
 qui vindictę Dei ministri erat. Iustum  
 equidem fuit, vt qui Deo neglecto ho-  
 minibus placere studuerunt, à Deo &  
 hominibus desererentur, atq; etiam  
 ab ijsipsis, quorum gratia Deum offen-  
 derant, punirentur. Ut yel serò tandem  
 intelligerent, non fuisse temporis ser-  
 uiendum, contra Dei voluntatem ac  
 leges diuinias, quarum promouenda-  
 rum gratia ordinantur. Magistratus &  
 omnes Ecclesiae Præpositi, Nolite (ad-  
 monet yas electionis) conformari  
 huic saeculo, sed reformamini in no-  
 nitate sensus vestri, vt probetis, quæ  
 sit voluntas Dei bona & beneplacens  
 & perfecta. Sapiens (inquit Salomon) Rom. 12.  
 timet, & declinat à malo: Stultus trāgi-  
 lit & confidit. Itaque ut huic causæ fi-  
 nem imponam, votis optarim omnibus,  
 quoslibet Reipub. rectores, ac et-  
 iam Ecclesiae Præpositos hoc unum  
 obseruare consilium, quod D. Grego-  
 riū Regibus scripsit. Summum (in-  
 quit) in Regibus bonum est, iustitiam  
 colere, & suā cuique iusta sequare, &

## 134 CAVSÆ CALAMITAT.

subiectis non sinere qd' potestatis est fieri, sed qd' æquū est custodire. Quā D. Gregorij sententiam exemplo Valentiniiani Minoris ex D. Ambrosio comprobare lubet: Ad hūc enim, cū Romani legatos suos misissent, ad recuperanda iura templorum, & priuilegia Sacerdotum, & restituendum cultum deorum, quæ ipsius frater abstulerat: Et consentirent omnes Christiani, qui in consistorio erant, vt gentilibus redderentur, quæ postularant. Ipse Valentinianus solus, excitante illum spiritu Dei, perfidiæ arguebat Christianos, & legatis respondit, à se, quod pius frater abstulisset, reddi non posse, cum in eo religio laderetur & frater. Postulet (inquietabat) parens Roma alia quæcumque desiderat, debeo affectum parenti, sed maius obsequium parentis authori. Istud profecto est iustitiam colere, & sua cuique reddere, si nihil concedant iudices, quod honori diuino repugnat: si leges, statuta, cōsuetudines, pro iustitia & religione ordinata inuiolabiliter seruēt. Si deniq; reddant quæ Dei sunt Deo,

Episto. 20.  
ad Theodo-  
ricum &  
Theober-  
tum.

&amp;

& quæ Cæsar is Cæsari , & vt id ipsum à  
subditis fiat, diligenter satagant.

*De indulgenti educatione &  
corrupta institutione iu-  
uentutis. Cap. XV.*

**S**E D his omissis considere-  
mus, quātum calamitatis  
in Belgū inuexerit indul-  
gens educatio iuuentutis,  
ac eiusdem institutio ne-  
gligentior. Sunt qui inter postremas  
causas reférunt, quod parentes indul-  
gentius suas eduauerint proles, & ni-  
mis negligenter institui in morum  
probitate, necnon doctrina fidei Chri-  
stianæ consona curauerint: Sed aliter  
de hac causa iudicandum esse censue-  
rim. Siquidem ea videtur, præ cætc-  
ris ferè omnibus causis grauiora ma-  
la Belgio peperisse, quin & meritò,  
cam omnium miseriārum nostra-  
rum dixerim fœcundissimum fuisse  
seminarium. Siquidem in confessio-

K 4 est,

est, Reipub. ordinem, qui ex plebe, honestioribus ciuibus, Senatu, Nobilibus ac Sacerdotibus cōstat, per iuuētutem conseruari, quæ temporis progressu, in seniorum locum succedit & assumitur. Porrò si cum lacte nutricis imbiberit venena, si ab infantia peruerſis affueta sit moribus, si peccatorum dulcedinem pro libitu degustauerit, ac desideria carnis sit amplexa, nec sibi, nec alijs vtilis esse vnquam poterit. Quin simili corruptione inficiet quoscunque sibi familiares, ac tandem totum Reipub. corpus tabe sua perdet. Recens poculum oleo acetotie imbutum, quemuis postea receptū liquorem, odorem primo corruptit: Sic profectò iuuenes ab ineunte ætate deprauati, quoscunque secum convuersantes simili morum nequitia peruerunt. Quod suæ Reipub. metuentes Romani, sanctis legibus patrē cuius filius Romæ aliquod enorme scelus commisisset, simul cum filio puniuissē leguntur. Imò & Heli Iudæorum sumimus Sacerdos cum filijs suis morte à Deo multatus est grauissi-

uissima, quod indulgentior filios legem Dei præuaricantes, acrius minime corripuerit. Et Dauid: Nónne quod Amonem primogenitum deinceps cum sorore commisso non punierit, à proprio filio Absolone durissimam pertulit persecutionem, occiso prius filio suo Amone? Nónne hac etiam tempestate innumeri sunt, qui per nimis remissam suorum educationem, iusto Dei iudicio, indignissima quæque ab ipsis quos genuerunt sustinere cogintur? Enim uero cum cœca sit iuuentus, & ut Comicus ait, cum (*Melius, peius, profit, obfit, nihil videat, nisi quodlibet.*) cum semper illi rixas pugnasque suscitent sanguis feruidus ac lasciuens natura, cum ipsam caro ad sui amorem prouocet, eodemque impellat sensualitas, cum illi mundus insidietur: cum denique humani generis inimicus diabolus, nunquam non eam sollicitet atque tentet: Impossibile profectò videtur, naturam, quā tot inimici, tamque varijs impugnant illecebrarum telis, non supplantari, totamque peruersti, si prius à teneris

<sup>2.</sup> Reg. 13.  
<sup>14.</sup> & seq.

## 138 CAVSÆ CALAMITAT.

(vt aiunt) vnguiculis, optimè non fu-  
erit edomita. Nisi Dei timore caro il-  
lius dum adhuc tenera est, confixa fu-  
erit. Nisi demum parentes exemplo  
Susannæ, Tobiae, ac aliorum studiosissi-  
mè illam in lege Domini erudierint.  
Quæ quoniam hac ætate nostra vt plu-  
rimum fuere neglecta, quo non cor-  
ruit Belgica iuuentus? Quod carnis  
desiderium non amplexa est? Quas  
non sectata mundi illecebras? Quæ  
non ausa est perpetrare scelera? Non-  
ne illi ludus fuit, blasphemare, men-  
tiri, ira excandescere, vindictam ex-  
petere, exercrari, peicerare, ociari, poti-  
tare, commessari, alios (& quod dice-  
re horreo) nonnunquam proprios  
parentes maledictis laceſſere, substan-  
tiam propriam dilapidare, fraudibus  
ac dolis malis illam augere, fornica-  
ri, adulterari, aliaque innumera pijs  
autibus auditu horrenda? Que promptissimè  
perpetrarunt, non modo  
maiorum perniciosa indulgentia, sed  
etiam scandalosis frequenter exem-  
plis, & nonnunquam iniquissimis co-  
run-

rundem præceptis incitati. Quid dicam de matribus, quæ impiissimè Herodiadis exemplo, suas docent filias tripudiare, stultos adolescentulos ad sui amorem, blandis lenocinijs incitare, gradu incedere composito, psaltere instrumentis, consortia frequentare, ex quibus lasciuiores frequenter domum redeunt, rythmos canere impudicos atque lasciuos, suas exterminare facies, vel pegrinis obducere coloribus, caput suum dedecorare pileolis plumatis virorum, extento (vt est apud Isaiam) collo ambulare, oculorum nitibus loqui, crines in modum medij circuli supra frontem extolle, re, eosdemq; vt elati sic permaneant fasciculo crinum equorum circumnoluere, comam crispare, ac miris artibus componere: vittas, varijs coloribus contexere, aureis & argenteis filis insertis, vestes gestare seetas, variegatas, ac plurimas, multisq; limbis ornatas, onerare se monilibus, inauribus, torquibus, annulis, armillis, murenulis, palliolis, alijsque non minus vanitati quā superbiæ scrumentibus ornata.

mentis! Quæ sigillatim omnia exprimere difficillimum foret, mihi vero impossibile. Atqui non minus æstimandæ sunt iniuriantes, quas negligens, & non raro peruersa protulit institutio puerorum, quam acceperunt à suis magistris & pedagogis, & id quidem summa parentum incuria. Et enim de istorum probitate, fidei integritate, religiosa conuersatione atque scientia, nullam olim habuisse parentes rationem, testantur plurimorum corruptissimi mores, ac hanc ab illis peruersæ opiniones, non minus alijs quam ipsis pueris noxiæ. Porro per indulgentem ac nimis remissam institutionem, adeoque conuersationem dissolutam pedagogorū, cooperante innata illis corruptione, & molli educatione parentum, in prauitate concepta, & tate maiores facti, sic se obfirmarunt, ut quicquid boni natura eis clargita fuerat, id totum corruperint, funditusque extirparint: Quod enim etate fiunt prouectiores, eò etiam ad peccata procliviiores, & in eisdem obstinatores efficiuntur. Quibus dum à

magistris diutius conniuetur, sic amplexantur peccata, illisque agglutinatur, ut neq; à cœptis resiliere, nec quicquam boni postea agere queant. Si mutare (inquit Ieremias) Aethiops potest pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum. Quæso an etiam aliquando visum fuit, ut qui in iuuenitate fuit Epicureus, sit factus in sene&tute Stoicus? Quemadmodum igitur charta lituris, vel literis male formatis repleta, difficillimè expurgari potest, nulloque studio apta reddi, ut scripturam bonam ac nitidam admitat. Ita prorsus iuuenes corrupti indulgentia, exemplis, & nonnunquam prauis magistrorum suorum doctrinis, & rarissimè & cùm id sit difficillimè ad frugem bonam reduci possunt. Nam iuxta illud Horatij,

*Quo semel est imbuita recens seruabit odorem.*

*Testa diu.*

Atque hinc est, quod hac tempestate nullis cedant eiusmodi iuuenes exhortationibus, nō Seniorum, nō Parentū, non Senatus, non Sacerdotum, non suo-

Hierem. 13.

## 142 CAVSÆ CALAMITAT.

suorum etiam Pastorum. Fastidiunt  
 quippe ac respuunt, quicquid saliuæ,  
 quam à teneris imbiberūt annis, con-  
 trarium esse sentiunt. Exemplo sunt,  
 qui ab hæreticis, ( quales multi Ludi-  
 magistri in Belgio fuere, ad subeun-  
 dum docendi munus admissi, non  
 minori iniustitate Senatus, quām so-  
 cordia) in iuuenili ætate instituti fue-  
 runt. Possuntne oro adduci, ut expu-  
 ant falsas opiniones atque sententias,  
 quas à pueritia hauserint? Quod si  
 quando fiat, nōnne semper aliquid  
 retinent gustus & saporis fermenti,  
 quo prius infecti erant? Nōnne saepius  
 eructant, corruptos humores à suis  
 præceptoribus propinatos? Verissi-  
 mum equidem est illud proverbiu[m],  
 Adolescens iuxta viam suam etiam  
 cum senuerit nō recedat ab ea. Quod  
 præscientes Belgici hæresiarchæ, men-  
 dacij fabricatores, & (ut loquitur scrip-  
 tura) cultores falsorum dogma-  
 tum, conatu máximo, omniq[ue] stu-  
 dio incumbunt, & satagunt. (dolen-  
 dum, parentes negligentius filiorum

Pro. 22.

Iob. 15.

salutem procurasse , quām illorum  
perditioni hæretici i[n]vigilant) vt Bel-  
gica iuuentus falsis imbuatur persua-  
sionibus, authore scilicet dæmone, &  
exemplo Imperatoris Maximini , qui  
summo Christianæ religionis flagrans  
odio, conficta quædam de Christo a-  
cta , innumeris calumnijs ac blasphem-  
ijs referta, mandauit ludimagi[n]istris,  
vt honestarum disciplinarum loco  
pueris prælegerent , & frequenti re-  
petitione profundius eorum memo-  
riæ ea imprimerent. Quid? Nónne no-  
ui Euangelij Doctores edictis doctri-  
næ Christi contrarijs catechismis, va-  
rijsque libellis simili studio pueros  
& adolescentulos catechisantes sata-  
gunt, vt fides , pietasque Catholica,  
quam à Christo acceperant, ex eorū  
cordibus radicitus euellatur , & ea-  
rum loco, fides ab hominibus Aposta-  
lis conficta , Religio verò ac pietas  
nulla inserantur. Ecqui obsecro pijs  
& religiosi esse possunt, qui ab hæ-  
reticis docti sunt, D E V M vt seue-  
rum iudicem non timere , nihili  
fa-

facere Ecclesiastica ieiunia, sicut & sa-  
crificia & pœnitentia opera, frustra  
eos contendere ad legem Dei perfici-  
endam, pietatis operibus se non iusti-  
ficandos, ad peccatorum quantum-  
uis enormium veniam consequendā,  
non requiri satisfactionis opera, neq;  
confessionem, neque Sacerdotis abso-  
lutionem: Ecclesiæ statuta, cæremoni-  
as, traditiones, non pluris facienda  
quam Pharisaicas: Deo sacerdotibus,  
& quibuscumque personis Deo conse-  
cratis malè opinari, credere, dicere, a-  
liaque id genus plurima. Quibus se-  
mel persuasis, sentientes istis dogma-  
tibus à se reiecta omnia frena, quò nō  
se præcipitant: quorum sensus & co-  
gitatio ad malum prona sunt ab ado-  
lescentia sua, qui per ætatē carnalibus  
desiderijs feruent, quibus sæcularium  
libertas nimis arridet, spiritualium  
verò despit, quibus deniq; nulla virtu-  
tum, innumera verò scelerum exem-  
pla succurrunt. Porrò sic corruptis  
adolescentulis, qualisnam in Belgio  
esse potuit Respub. cum ex illis eius  
moderatores probentur assumpti fu-  
isse.

isse. Quænam religionis ac morum iuxta doctrinæ Christi normam reformatio sæculis futuris speratur? Cum proculdubio quæ à suis perceperunt Magistris & doctoribus, vel illis deteriora (Error enim in alium impellit errorem) suis prolibus ac posteris sint tradituri. Quænam postremò Belgis pax & concordia, cum Ecclesiæ relicta unitate, frenis humanarum concupiscentiarum ablatis, iam cuiq; sit (quot enim homines tot sententiaz) liberum sectari proprij cordis placita & desideria? Prorsus pro Christianismo Paganismus, imò Sathanismus introduceatur: pro fide theologia infidelitas, pro morum reformatione, omnimoda dissolutio: Pro concordia in bonum, perditissima in malum conspiratio: Pro Repub. sanctis quōdam decretis modetata, erigitur talis, quæ nullis vtitur legibus, nisi quibus peruersæ eorum opiniones ac sententiaz stabiliantur, atque statuantur, omnes vero infringantur, quas peruersi aduersari sibi existimant, licet cædem à mille annis, & supra, optimè sint à patribus no-

stris iudicatæ ac obseruatæ. Cum igitur in Belgio nimis indulgenter iuuenes fuerint educati, & rara illis ad virtutes à parentibus data exempla, quinimò, præceptum nonnunquam acceperint, ut quibusdam vicijs indulgerent, atque etiam ad illa ludimagistrorum accesserit negligens institutio, & quæ in numeros infecit pernicioſa corundem doctrina, nihil sanè mirum videri debet, si dicam<sup>9</sup> iuuentutis Belgicæ corruptionem aperuisse fenestrâ calamitatibus, quibus nunc opprimimur, & copiosam illis præparasse materiam. Sed his supersedeamus.

## *De usurpatoribus Belgij, & malis, quæ per eos contige- runt. Cap. XVI.*

**N**on quantum ad miseras nostras sint cooperati, qui hodiè multas Belgij pronicias occupant, nonnihil considere mus. Prius tamen quam declaracionem hanc aggrediamur, operæpretium-

um fuerit, leui manu delineare patrias  
constitutionem, quæ præsentis sæculi  
calamitates immediatè præcessit. Si-  
quidem ea videtur fuisse ad mala, quæ  
consequuta sunt, præparatio, seu dis-  
positio, imò & eorum causa. Superius  
ostensum est, terrenorum abundantia-  
m, cum diuturna illorum possessio-  
ne tranquilla, innumerorum fuisse pa-  
rentem malorum. Quæ ibi dicta sunt,  
hic rursum consideranda obijcimus.  
Addentes quod illinc tanta Belgas in-  
uaserit luxuries, ut eius illecebris pel-  
lecti, omnia quæ hinc inde corradere  
illa sibi poterant, in ea plurimi consu-  
merent, pudorem pudicitiamq; pro-  
stiterent, fidem, probitatem, & bo-  
nas artes negligerent, vanitates, men-  
dacia, ineptias amplexarentur. Qui-  
bus pestibus dum in initio non occur-  
ritur, innumeri cuiuscunque etatis  
conditionis & sexus sunt infecti. Vbi  
quæso maior luxuriandi libido? Vbi  
cōuiuia frequētiora, vbi minus chari-  
tatis mutuę studiū, ceterarūq; virtutū  
& diuini cultus? Vbi fastus superbior?

Vbi denique omnia fuere magis simulata, terramque redolentia, quam in nonnullis Belgij prouincijs, dum florarent & abundarent terrenis facultatibus. Vbi viri nihil virilitatis, sed effeminate omnia præ se fercebant. Iuuenibus deerat verecundia, senibus continētia, pauperibus humilitas, diuitibus charitas. Reuerentia, obediencia, dilectio, nec parentibus, nec senibus, nec Magistrarii exhibebantur: Ecclesiastici plurimis erant abominationi. Virtutibus non minus quam auorum imaginibus clari, ac nobiles, negligebantur. Probi ab improbis persequitionem sustinere non raro cogeabantur. Seruorum & ancillarū in vestimentis maximè abominandus erat luxus. Qui ditior erat, in maiori veneratione habebatur. Dignitates, beneficia, & officia ijs conferebantur, non qui ratione probitatis, doctrinæ, ac benefactorum in Repub. promoueri meritò debuerāt, sed qui illa blandissimis adulacionibus, & nonnunquam amplissimis muneribus venati fuerant, ita ut dicere tunc omnibus licuerit:

In

*In pretio premium nunc est, dat census honores,*

*Census amicitias visitate probat.*

De mulierum incontinentia quid attinet dicere, quum tanta fuerit in moribus & ornamētis muliebribus, vt ad excessum nihil addi potuerit. Coniuandi causa nōnne terra mariquē delicatissima quæque inquirebantur? Nōnne exquisitissimis mensæ onerabantur, sic vt visa solum fercula temperantibus fastidium parerent, & mēs non ferrent lances multiplicatas. Deinde nōnne commessandi gratia noctes in dies verteabantur, & contra in stratis lasciuendi causa dies in noctem? Denique nonne Belgarum pars magna Epicuream potius, quam Christianam vitam agebāt? Nimirum qui sic viuebant, vt merito dices eos existimasse summum bonum esse voluptatem, quam capiebant ex delicijs carnalibus, saporibus, corporum cōplexibus, ludis, cantibus, formis, & ceteris omnibus quæ corporales sensus oblectant: vel certè qui videbantur existimasse summum esse bonum, cætere doloribus, quorum propulsan-

## 150 CAVSÆ CALAMITAT.

dorum gratia nullis parcebant sump-  
tibus, curis, laboribus, periculis. Oni-  
nes enim pharmacopolarum officinæ  
euertebantur, exhauciebanturque, ut  
pharmaca morbis vel solum imagi-  
natis procurarentur, atque adhiberen-  
tur. Medici vero ( horum ob Belgarū  
plurimorum immoderatam luxuriæ  
ac intemperatam in omnibus Belgij  
provincijs, ciuitatibus, pagis, frequen-  
tissimus erat numerus) vnde accer-  
sebatur, qui futuris lâguoribus occur-  
rerent, vel (vt verius dicam) qui pro i-  
maginatis veros adferrent morbos.  
Et interim ne minima quidem de ani-  
mabus lethali vulnere bis millies cō-  
fixis cura erat. Taceo quod corpore  
ægrotantes visitantibus saepius prohi-  
bebantur, ne de peccatorum confes-  
sione quicquam agerent, quod time-  
rent, ne hac ratione morbus magis in-  
grauesceret: ignorantes corporis æ-  
gritudinem saepius à morbis animæ  
ortum sumere, horumque gratia il-  
lam non raro à Deo immitti. Quod  
etiam docere Apostolus videtur, dum  
multos infirmari ac mori asserit,  
quod

quod nō dijudicarēt corpus Domini.  
 Ideo ( inquit ) inter vos multi infirmi  
 & imbecilles , & dormiunt multi.  
Quod si nos met ipsos dijudicaremus,  
 non vtique iudicaremur. Dum iudi-  
 camur autem à Domino corripimur,  
 vt non cum hoc mundo damnemur.  
 Paucis , tanta Belgas multos occupa-  
 uerat mollices, vt non famem, non si-  
 tim , non frigus , non somnum, non  
 quicquid carnis concupiscentijs ingra-  
 tum, non denique tentationes operi-  
 rentur, sed ea omnia luxu anteuerte-  
 rent. Et hæc quidem vsu longo in Flä-  
 dria, & quibusdam alijs prouincijs sic  
 inualuerāt, vt ob similia facinora Hol-  
 landia, Zeelandia, Brabantia grauissi-  
 mè afflictis nihilominus frequentarē-  
 tur: Nec illarum visis exitialibus ma-  
 lis & afflictionibus vlli resipiscerent,  
 quin illis se profundius immerge-  
 rent: Exemplo tribus Iudæ, quæ vi-  
 dens à Deo repudiatam sororem su-  
 am auersatricem Israël , non timu-  
 it, sed ipsamet abiens frequentia for-  
 nicationis suæ contaminauit terram.

Hierem. 43

Porrò in tanta, tamque varia morum  
animorumque corruptela, quid faci-  
lius fuit, quam perdere ac sibi obliga-  
re infinitam prope multitudinem  
Belgarum? Pr&gt;fertim cum seductores  
blandam illis libertatem polliceren-  
tur, & à tyrannide (vt aiebant) vindica-  
tionem, atque Ecclesiam Christi genui-  
nam reformationem. Multo magis  
quū sentirent hæreticis valde terrori  
& horrore esse dominationem, quam  
ob facinora multi Belgarum reformi-  
dare conscientia stimulante cogeban-  
tur. Longè autem maximè, quod ad  
extinguendos conscientiæ stimulos,  
ex religione Catholica relictos, religi-  
onem introduceret nouam, quæ nul-  
tos admittit animi scrupulos, & om-  
nem non solum hominum, sed ipsius  
etiam Dei timorem exulare cogit.  
Pr&gt;parata itaque, vti supra ostensum  
est, corruptionis materia ( quod illi  
tempstiue contrarijs remedij non  
sit occursum ) nullo negotio po-  
tuit alteratio introduci , quinimò  
exitialem subsequi morbum neces-  
sc fuit. Id cognoscentes, qui nunc  
in

in plerisque Belgij prouincijs domi-  
nationem iniustissimè usurparunt (de  
authoribus commotæ seditionis lo-  
quor, ac ducibus, qui consilijs, autho-  
ritate & armis bellum, quod aduersus  
nostram religionem, & Regem Ca-  
tholicum hodie geritur, fouent) arte,  
dolisque predictis, coeperunt Belgici-  
cas inuadere prouincias, easque Regi  
suo longè clementissimo, ac optimè  
de ipsis merito subtrahere. Cæterum,  
quoniam principio Belgicorum tu-  
multuum maxima Belgarum pars ad-  
huc erat Catholica, & eorum complu-  
res religione ac authoritate adhuc va-  
lebāt, qui hæreticorum conatibus re-  
sistere poterant, ac etiam nitebantur,  
non ab refuerit aperire, quo astu, qui-  
busue dolis illos à statu & authorita-  
te deiecerint, & dictas occuparint pro-  
uincias. Imprimis eodem prorsus mo-  
do, quo Absalon à patre suo Dauide  
auertit populum, sibi que eum deuin-  
xit, & isti populum Belgicum sibi ob-  
ligarunt, atque à Rege suo longè be-  
nignissimo seduxerūt. Absalon equi-  
dem iuxta portæ introitum, omnem

virum, qui veniebat ad Regis Iudicium conuenisse, atque auditæ eius causa legitur respondisse: Videntur ( aiebat ) mihi sermones tui iusti & boni, sed non est qui te audiat constitutus à Rege. **Quis** me constituat iudicem super terram? vt veniant ad me omnes qui habent negotium, & iuste iudicem? Sed & cum accederet ad eum homo vt salutaret illum, extendebat manum, suam, & apprehendens osculabatur eum. Quod ipsum faciebat omni Israël venienti, vt audiretur à Rege, & sollicitabat corda filiorum Israël. **Quid?** Num similia fecere Belgij usurpatores in omnibus ciuitatibus, quarum obtinuere dominatum? Scilicet plausibilibus persuasiōibus, adulationibus, hypocrysi, illecebrosis promissionibus, benigna susceptione ac iustificatione omnium, qui eiusdem erant cum illis sententiæ, etiam si iniqissima postularent? Nunquid apud plebem Regis causam passim damnabant, imò & scripto Regiam Maiestatem passim lacerarunt, quo se ( hæc desperatorum hominum consuetudo

do est) ac suos iustificarent. Nunquid  
vsurpando nomen propugnatorum  
Patriæ contra tyrannidem ( vt aiunt)  
eorum qui Regi fauēt, eiusq; tuentur  
partes, seu (vt loquuntur) qui Hispani  
zati sunt. Sic miserum populū etiānū  
dementant, vt relicto Rege suo ipsos  
toto corde sequantur. Nunquid eos  
qui sinistrè (vt par erat) ipsorum facta  
interpretabantur, spoliarunt, perse-  
quuti sunt, in exilium coegerunt, ac  
corum nōnullos morte crudelissima  
mulatarunt? Populu n dico eiusmodi  
inescare studuerunt, quod eum sequi  
res nouas, ac mutationes ( iuxta illud  
Pythagoræ , Semper præsens status  
subditis est molestus ) statuum amare  
scirent. Vanitati item magis quam ve-  
ritati illum esse deditum, atque in o-  
mni re varium & inconstantem. Ad  
se vero isto modo pellectum, à suo  
Senatu ac legitimis Dominis pri-  
mū abducere studuerunt, mox eo tan-  
q; instrumēto vñi sunt, vt Catholicos  
ex ordine Senatorio ejiceret, nobiles  
Regi suo addictos patria profligarēt,  
pios

## 156 CAVSÆ CALAMITAT.

pios omnes opprimerent, quoslibet Ecclesiasticos, tanquam sceleratos homines persequerentur, suam Majestatem Regno & propria hæreditate ejercent, diuina omnia prophanarent, ac vastarent. Sic sic noua Dalila sagitus perscrutata qui posset, virtute, dominio, potestate, Regem, Nobiles, Senatum, Catholicos, omnes priuare, deturbare, pellere, tundit Samsoneum, plebis turbam superioribus suis tanquam capilli capiti adhærentem, auertendo, concitando, armando, sibi que obstringendo. His accedit, quod priuatis Senatus dignitate Catholicis, qui que Regiæ Majestati fauebant, in eorum locum homines opinionibus prauis imbutos, præsertim hæreseos, paucissimis exceptis, fermento infectos, necnon seruilis & infirmæ conditionis homines, qui opinione falsa, qua ad suam erant perniciem imbuti, magis Rempub. quam recto iustitiae dictamine administrant. Quo facto mox potuerūt omnes Religioni Christianæ deuoti, cantare illud Threnorum: Serui dominati sunt nostri, non est

Iudic. 16.

Hierem.

**e**st qui nos redimat de manibus corū.  
Enim uero

*Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.* Claudia,  
*Cuncta ferit, dum cuncta timet desauit in om-* nus.  
*nus.*

*Vi se posse putent, nec bellua tetricor villa est;*  
*Quam serui rabies, in libera colla furentis.*

Tantò autem potentius in probos  
quosque Deo & Regi suo benè affe-  
ctos, ab illis desauitum est, quod hu-  
iusmodi farinæ hominibus gubernata  
Reipub. moderantibus, vbique  
adiunxerint plurimas suorum ( mali  
corui malum ouum ) cohōrtes mili-  
tum, quos

*Nil nisi turpe iunat, cura est sua cuiq, voluptas*  
*Hec quoq, de alterius grata dolore venit.*

Adiunxerunt, inquam, milites, qui  
Magistratus nouos, ad quælibet au-  
denda aduersus Catholicam religio-  
nem animarent, atque in rebellione  
aduersus suum Regem, pro suorum  
ducum deuotione retinerent, obliga-  
rent, detenderent. Qui tempa ac mo-  
nasteria omnia spoliarent, Ecclesiasti-  
cos omnes persequerentur, sacraque  
vni-

## 158 CAVSAE CALAMITAT.

vniuersa prophanarent. Qui totam pa-  
 triam, & maximè probos ac Catholi-  
 cos depopularentur, homines sica-  
 rij, exleges, athei, raptores, crudelissi-  
 mi tyranni, abominabiles, & prorsus  
 inutiles, bibentes (vt est apud Iob) sic-  
 ut aquam iniquitatem: Qui seditionis  
 ex populo animos addiderunt, ad si-  
 milia cum ipsis facinora perpetranda,  
 impuleruntq; ad leges quaslibet præ-  
 uaricandas, ad sacra quæq; pessundan-  
 da, ad fidem & omnem religionem  
 extirpandam. Prorsus Flandriæ ele-  
 ctissimæ totius Belgij prouinciæ vt &  
 cæteris tantam cladem, ruinam, deua-  
 stationem, Syllani milites non attu-  
 lissent. Non Catilinam sequentiu m  
 nefariorum hominum innumera co-  
 hors: non maximus Turcarum exer-  
 citus, quantam intulere hi belli mili-  
 lites, fortissimi athletæ ad deiijcien-  
 das imagines, & debellandos Sacerdo-  
 tes, ac inermes religiosos. Quæ dum  
 impunè facere permittuntur, sibiq;ue  
 maiorem licentiam ad eiusmodi per-  
 petranda fieri sentiunt affectata simu-

la-

latione illorum , qui capita huius intestini belli existunt , tanto amoris vinculo eis obstringuntur , ut libentius animam fundant , quam eorum partes deserant , vel pro virili non tueantur .

Quali ergo licentia Sylla in Rempub-  
licam Romanā maximē impius , fi-  
dum sibi fecisse exercitum legitur : ta-  
li communes patriæ hostes fidos si-  
bi fecerunt omnes , qui eorum stipen-  
dijs merent aduersus Christianam  
religionem , Maiestatem Regiam , sa-  
lutem fidelium , & patriæ Belgicæ  
quietem ac prosperitatem . Encau-  
sam cur tam sibi deuinctos , atque  
adeo in malo obstinatos habeant  
milites . Cui suffragatur , quod hæc  
militum manus feratur ab illis con-  
flata , partim ex homicidis , sanguini-  
narijs , hominibus impuris , adulteris ,  
periuris , sacrilegis , parricidis ,  
& quos facta iudicium timere coge-  
bant : partim ex ijs qui alea , ma-  
nu , ventre , patriabona dissiparant ,  
vel qui alienum æs grande conflau-  
rant , partim ex ijs , quos socors egestas  
exagi-

Sallust. in  
Catili.

160 CAVSÆ CALAMITAT.  
exagitabat. Inter hos autem tenacior ad malum conspiratio , & quasi indis- solubilis necessitudo sit oportet. Omne enim animal ( inquit Sapiens) dili- git simile sibi : sic omnis homo prox- imum sibi. Qui autem à culpa vacui se illis imprudentius coniunxerūt, in ox quotidiano vsu atq; illorū illecebris, pares similesq; cæteris effecti sunt . E- nimi uero cùm hæ bellorum hominū copiæ in Flandria, Hollandia, Zeelan- dia, alijsq; prouincijs ac ciuitatibus, quas obtinuere, Turcica quæque & barbarica exercuerint, ac omnes rusti- cos penitus expilarint, bonosq; cru- delissimè affixerint, adhuc nihilominus patriæ defensores, libertatis pro- pugnatores, atque ab oppressionibus vindicatores, à vulgò insipiente salutantur & proclaimantur. O inauditā hominum cœcitatem , ô stupiditatē execrandam ! Ceduntur, & minimè sentiunt: vulnerantur, nec dolent: in- ternecioni dantur, & non contristantur. Imò & eos quorum gratia talia perpetrantur facinora perditè amant, immodicis efferunt laudibus, & pro corum

eorum tuendis opinionibus licet perniciosissimis, decertare, atque etiam certissimæ morti se tradere non dubitant. Porrò cùm ingenium, doli, impietas atque actiones usurpatorum Belgij cum Iuliani Apostatæ ingenio consilijs, impietate, actionibus (mea quidem sententia) optimè conueniant, non incongruum opinor erit, si istos inter se comparauero. Principio quemadmodum Iulianus à fide Catholica cui se deuouerat apostatauit, abijciendo nempe Christianismum & baptisma, quo in Ecclesia fuerat à peccatis ablutus, execrandis quibusdam ritibus eum expiando: Sic prorsus Belgici usurpatores fidem Catholica in baptismo professam cum Calvinismo commutantes, atque à fide Christi Apostatæ facti, quicquid in Ecclesia in baptismate acceperant spiritualium charisimatū, abiecerunt. Quòd cum accedūt ad suscipiendum prophanum panem, quem cœnam vocant, quibusdam horrendis execrationibus ac iuramentis ipsos fecisse quantumvis occulte, multis tamen

M est

CAVSÆ CALAMITAT.  
est notissimū. Vnde facilè intelligas,  
quām congruē illis conueniat, & A-  
postatæ vocabulum, & modus abne-  
gandi fidem Christianam. Iulianus  
deinde prohibitus à Constantino Im-  
peratore, ne Libanium Sophistam Pa-  
ganum sectaretur, secretò Libanij e-  
gebat libros, palam verò sacros. Ita  
qui Belgium turbant, hæreses cùm la-  
ete materno potas, toto tempore,  
quo Regis potestas in Belgio inua-  
luit, professione fidei Catholicae ma-  
nifesta palliarunt, ætate verò maiores  
facti, occultè quo erant modo edocti  
contra Regis voluntatem fidemque  
in baptismo datam, & Ecclesiæ cano-  
nes, Lutheri & Caluini hæresiarcha-  
rum libros legetunt ac relegerunt.  
Postea verò oportunitatem naëti, re-  
iecta religione Christiana, publicè hæ-  
resiarcharum scripta cuoluerunt, imo  
& eorum nonnulli Atheistarum li-  
bros legere non sunt veriti. Et præ ca-  
teris impij Machiauelli dogmata, qui-  
bus apprimè docētut, quomodo tyrā-  
nos agere, & in tyrannide continuare  
dominationem oporteat. An non ex

eo sumpserunt illud frequens in ore  
ipsorum axioma , Dilatandæ domi-  
nationis gratia, omnis negligenda  
vel simulanda est religio. Rursum le-  
gimus Julianum grauissimo perse-  
quutum odio, ciuitates religionis Ca-  
tholicæ cultrices, omnesque Catholi-  
cos tributis & grauissimis oppressis  
exactionibus. Quid? Nunquid eadem  
inuasores commisentunt? Nonne Ca-  
tholicos exactionibus ac multitudi-  
ne militum sic oppressere, & omnem  
ijs exsuxere substantiam, vt præ ege-  
state, vel cedere patria, vel factionibus  
corum coniungi cogerentur? Nonne  
ciuitates, que religionem Catholicā  
cum Calvinismo mutare detrecta-  
runt, vel à Rege deficere, ob id solum  
crudelissimam sunt perpeſe militum  
tyrannidem, cum in eorum manus ve-  
nissent. Argumēto sunt ciuitates Hol-  
landiæ, Zeelandiæ, & nonnullæ Brâ-  
bantiæ, quæ extrema omnia sustinue-  
runt, quod olim fuerant Catholicæ,  
& in exordijs turbarum quandiu po-  
tuerant illorum conatibus, & hæ-  
reticorum factionibus restiterant.

M a Omit-

Omittimus quæ in Flandria vidimus facta, & ex parte sensimus, sperantes breui aliquem futurum, qui ut merentur singula omnibus scripto sit propalaturus. Deinde sicut impius Julianus Ecclesijs pecunias, vasa argentea, & pretiosa quæque ornamenta auferri iussit, ita & dicti usurpatores, qui pretiosi nihil reliqui fecerunt in monasterijs, templis, & quibuscumq; locis sacris, vbi obtinueré dominatum. In hoc tantum ab illo differunt, quod ille verberibus, & supplicijs grauiorib; Ecclesiasticos adegerit ad prodēdum argentea, aureaū vasa Ecclesiarū. Isti vero vafricie circūuenientes (additis si recusassent nimis, quæ patriæ proditoribus conuenire solent) sub prætextu defendendæ patriæ, propulsandæ tyrannidis, pacis ac libertatis consequendæ, illos eodem pertraxerint. Verum an etiam à tyranni de per eos vindicati, & libertatem cōsequuti sunt Ecclesiastici, quam illis pollicebantur? Imò verò iusto Dei iudicio priuilegijs omnibus, honoribus, consuetudinibus, legibus pro ipsis sanctis, bonisque v-

ni-

nuerfis ab eis spoliati sunt, quin & ex  
civitatibus fugati, vita ijs tantum pro  
ipolio relicta. Et hæc quidem à Iuliano,  
cuius vitam, moresque imitantur  
longè ante facta fuisse legimus. Sed  
reuertamur ad prædicta sacrilegia.  
Quibus dignos putatis supplicijs, qui  
tot Ecclesiæ, tot monasteria, tot Deo  
dicata loca, omnibus quæ diuinum  
commendabant cultum & illustrabat,  
sacrilegè spoliarunt? Qui ut (verisimili-  
le est) vi sis tam multis Ecclesiæ vasis, &  
sacrarum reliquiarum aureis & argen-  
teis capsis, ridentes Catholicorum  
deuotionem, & Ecclesiasticorum piæ  
obseruantiam, cum Iuliano dixerunt:  
En quibus vasis ministrabatur Mariæ  
filio. Grauissimo Dei iudicio excepti  
sunt Antiochus & Heliodorus, ob sa-  
crilegia in vnica ciuitate, & templo  
Hierosolymorum commissa: Et Bal-  
thasar Rex Persarum prophanando  
quæ diuino cultui fuerant consecrata  
vasa. Quanto grauius est illis expectan-  
dum iudicium, qui penè inumeras  
Ecclesiæ spoliarunt vasis omnibus,  
ornamentisque pretiosis. Cyrus Rex

Vide lib. 6.  
ca. 7. & 27.  
Eccl. Hist.

D. Hieron.  
in vita S.  
Hilarionis

2. Mach. 3.

Daniel 3.

1. Eldæ 1.

Persarum vni templo Hierosolymorum, quamuis à professione religionis Iudaicæ esset alienus, restituit vasa aurea & argentea quinque millia quadringenta. Per Belgicos vero usurpatores Ecclesiæ, templa, supra quinque millia quadrangēta spoliata sunt, omnibus sacratis vasis, & vniuersis, quæ Dei cultum atque Maiestatem commendabant. Quod ne in uno quidem templo fieri permisit Alarius Rex Gotthorum, quamuis barbarus, qui inuenta omnia Basilicæ S. Petri vasa, ad eam honorifice reportari iussit. Enim uero ut clariss videatur, quanta agebantur impietate, qui rapere, prophanare, comminuere haud quaquam sunt veriti, quæ etiam immanissimi barbari contingere reformidarunt, immo ne id fieret armis defendenterunt, laudibus cum Christicolis ea celebrantes, operæ pretium fuerit

Orosius li. historiam latius, ut est apud Orosium  
7.ca.39. describere. Etenim Barbarus quidam  
discurrentibus cæteris per urbem Ro-  
mam prædæ causa, accessit quandam san-

sanctimonialem, atq; rogauit vt pro-  
deret quicquid haberet auri vel argen-  
ti. Id audiens dicta sanctimonialis,  
statim protulit pretiosissima & pluri-  
ma vasā dicens Barbaro: Hæc Petri A-  
postoli sacra mysteria sunt, præsume  
si audes, de facto, tu videris, ego quia  
prohibere non valeo, nec tenere au-  
deo: Barbarus vero ad reverentiam  
religionis, timore Dei & fide virginis  
motus, ad Alaricum hæc per nunti-  
um retulit, qui continuò reportari  
ad Basilicā apostoli vniuersitatem, vt erant,  
vasa imperauit. Virginem etiam si-  
mulq; oēs, qui se ei adiunixerant Chri-  
stianos, eodem saluos deduci. Ea au-  
tem domus à sanctis sedibus lon-  
go ut ferunt medio interiectu urbis  
aberat. Itaque magno spectaculo o-  
mnium disposita per singulos sin-  
gula, & super capita elata, palam au-  
rea & argentea vasā portantur, exer-  
tis vndique ad defensionem gladi-  
js pia pompa munitur, hymnus Deo  
Romanis Barbarisque concinenti-  
bus publicè canitur: Personat latè in

excidio urbis salutis turba, omnesque etiam in abditis latentes inuitat & pulsat: concurritur vnde ad vas a Petri, vasa Christi. Hæc Orosius. Verum ne quid ad maliciam Iuliani perturbatoribus Belgicarum prouinciarum deesset: sicut ille Episcopis & Ecclesiarum Præsulibus minimè pepercit: Ita nec isti in carcere iam triennium, & eo amplius captiuos detinentes, sanctissimos Episcopos Ypressem & Brugessem, reliquis fuga sibi consulere coactis. Quod etiā in nō paucos nobiles, quos senserant religiosiores, & suis conatibus contrarios, tentare non sunt veriti. Adhæc quemadmodum Julianus gentilium tempa aperuit, Pagani indulgens ut sacrificarent: Sic capita presentium turbarum, tempa Catholicis auferentes, contulerunt hæreticis, istis solis libertatem facientes exercendæ religionis suæ, nō Christi. Julianus Gentilibus, Judæis, & quibuscumque hæreticis amicus, Christianis fuit infestissimus hostis. Nónne & usurpatores Belgici omnibus cuiuscumque sectæ hæreticis fauisse proban-

bantur, ijs postulata, licet iniustissima  
concedentes: Catholicos verò repro-  
bando ac rei ciendo, & iustissima eo-  
rum desideria iniquissimè persequen-  
do: Christi aduersarius expugnare so-  
lum studet Christi milites & castra.  
Insuper quomodo Julianus legitur  
Ecclesiasticis annonam abstulisse: ita  
qui Belgij dominium inuaserūt. Quin  
& in illos iniquiores esse conuincun-  
tur, fisco ascribentes cum Diocletia-  
no, vendentesque omnia illorum bo-  
na. Quo facto Dei gloriam obscurare,  
imò & quantum in ipsis fuit illam ex-  
tinguere, palam est eos studuisse. Ni-  
mirum dum laudes quæ Deo ab Ec-  
clesiasticis ac religiosis viris, die ac no-  
cte decantabantur, abrogando. Quin  
etiam se vel maximè probant impios,  
in Principes mortuos quoscunq; Ca-  
tholicos, qui Ecclesiæ suas facultates  
contulerunt, vt scilicet Ecclesiastico-  
rum meritis, orationibus, sacrificijs,  
iuuarentur: Nec minus iniurij sunt vi-  
uis, quos inedia varijsque persequuti-  
onibus enecant, nempe bonis omni-  
bus, natalique solo priuando sancti-

## 170 CAVSÆ CALAMITAT.

moniales, religiososque viros, & Ecclesiasticos vniuersos. Verum nihil dico. Ausi sunt præter illa (horrendum auditu) eorum asseclæ in nobilissimos & illustrissimos viros iam à sexcentis annis & suprà vita defunctos, manus sceleratas iniucere. Monumenta eorum (quod omni iure semper prohibitum fuit) violantes, ossa eruentes, ac nimis ignominiosè tractantes: ut vel sic apertissimè ostenderent, se omnem abnegasse humanitatem, & quibuscumque feris animalibus esse ferociores. Quemadmodum ipsorum nuper impia facinora Ultraiecti, alijsque in locis commissa apertissimè demonstrant. Præter hæc, quemadmodum Julianus blanditijs, honoribus, officijs publicis ac dignitatibus Christianos sollicitabat, ut à Christo secum apostatarent: sic prorsus Belgij occupatores non paucos Catholicos à Christi fide iisdem quibus ille illecebris alienarunt. Nimirum quos auaritia obcoecauerat, & quibus magis cordi fuere diuitiæ ac honores, quam ipsa Christi fides &

re-

religio. Atqui cum sentiret Julianus suam vafritem ac inescationem Catholicis minus incommodare, quam sperabat, edictis publicis ac legibus fategit, ut nobiles, milites, adeoque ipsa plebs, thus idolis incenderent: Ita Apostatae Belgici quibus possunt conatibus, student Belgas omnes nobiles, iuxta ac ignobiles, quos praedictis inascare illecebbris ac pertrahere, ut à Christo deficerent, non potuerunt, varijs exactionibus, atq; edictis Christo subtrahere, subtractos plurimis Idolis à Lutherò & Caluino consuetis consecrare ac deuouere. Neq; enim inter milites officiarios, consiliarios, & senatores quenquam admittut, nisi qui opinionibus religioni Catholicæ contrarijs sit totus infectus. Vel qui fidem Catholicam illorum factionibus fauens dissimulare egregie nouerit. Atq; ut Julianus monachis militandi fecit libertatem: Ita etiā dicti usurpatores quibuscumque Sacerdib; ac religiosis, nō modo militiā, sed etiā excrādas nuptias, aut poti⁹ ince-  
sum

Mach. p

stum concedunt. Quo etiam eo inuitant, talia tentantibus assignando pensiones annuas, ex redditibus seu prouentibus monasteriorum, vel Ecclesiasticorum. Denique sicut Apostata Julianus iudices immutando prouinciales (ad exemplum Bacchidis impios regionis Dominos constituentis) passimq; derogando imperatori Constantio, à quo cœctus fuerat, in primarium sui exercitus ducem, plurimos Constantij subditos corrupit, & ad bellum intestinum aduersus suum dominum armavit: Sic intusores Regij dominij, derogando Regi Hispaniarum Belgij legittimo domino & hæredi, & Magistratus Catholicos cū impijs mutando, subditos Regis contra suam Maiestatem, ut dictum est, sic suscitarunt & armarunt, armatos vero etiamnum sic dementant, ut nullas pacis conditiones, vltra à Regia Maiestate oblatas, licet omnium iudicio æquissimas admittant, atque etiam nequaquam vereantur passim maledictis & falsissimis calumnijs (contra illud, Principi populi tui non maledicces

ces) Regem suum appetere, & impie  
lacerare. Quod proprium est omni-  
um (Iuxta illud, Lingua mali pars pes-  
sima serui) seditionorum, hac ratione  
celare cupientium suam iniustitiam  
atque oppressionem, & ambitionem  
iniquissimam. Istud autem dum faciunt,  
causam quam isto argumento iustifica-  
ri credunt, eo ipso condemnant, atq;  
etiam Deum ad scelerum suorum vin-  
dictam vel maximè prouocant: Regis  
vero causam apud omnes probos, &  
Deum iustiorem reddunt. Quinimò  
ipsorum maledictiones Regi nostro  
in benedictiones conuertendas pro-  
bent illud Regij Prophetæ, Maledicent  
illi, & tu benedices. Qui insurgunt in  
me confundentur, seruus autem tuus  
lætabitur. Hinc audent quidam pro-  
nuntiare futurum, ut istarum maledi-  
ctionum ac scelerum authores Dei  
maledictionem aliquando sentiant,  
& nisi mature resipiscant, morte dam-  
nentur impiorum. Docent enim hi-  
storia, omnes qui Ecclesiam oppugna-  
runt, pariterque seditiones contra su-  
um Regem commouerūt, fuisse mor-  
te

## 174 CAVSÆ CALAMITAT.

In tract. ad te singulari extinctos. Nunquam (in Demetriū. quid Diuus Cyprianus) impiorum scelere in nostrum nomen exurgitur, ut non statim vindicta comitetur. Cuius etiam fidem facit interitus Iuliani Apostatae, Honorij secundi Vandolorum Regis, Ecclesiæ persequutoris grauissimi. Arnulphi Imperatoris

**I. Mach. 6.** impijssimi templorum Christi vastatoris, Maximiani inumanissimi hostis

**Astor. 12.** Christianorum, Antiochi Illustris, qui nefariè templum Hierosolymitanum spoliauerat, Herodis tyranni crudelissimi, & aliorum similius. Qui omnes horrendo mortis suæ genere, Belgicis usurpatoribus exemplo ac timori esse deberent, vtpote quorum impietatem ad amissim hactenus imitentur. Prosequerer comparationem usurpatorum cum Juliano, nisi longum nimis foret singula describendo conferre. Legantur quæ lib. 6. Histor. Ecclesiasticae de Juliano posteris scripto sunt tradita, & mox occurret per omnia hos æmulatos esse, apostasijs, consilijs, actionibus ac hypocrysij, Apostamatam Julianum fidei

Catholicæ hostem coniuratissimum  
ac fraudulentissimum. Porrò cœcis  
est notissimum dicta mala, & innu-  
mera his grauiora, solum belli (quod  
hodie viscera Belgij crudelissimè dila-  
niat & consumit) esse tribuenda au-  
thoribus, infœlicissimisque tumultu-  
um omnium parentibus. Num quæ so-  
parentes & authores belli merito di-  
cendi sunt, qui sategerūt iniquissimis  
pacis ineundæ propositis articulis, vt  
à Statibus, & ciuitatibus prouincia-  
rum illis subiectarum reijcerentur ter-  
quaterūe pacis conditionis æquissi-  
mæ à Regia Maiestate oblatæ? Semel  
scilicet atque iterum per Illustrissi-  
mum Dominum Ioannem Austria-  
cum, quæ compluribus patriæ Pri-  
matibus antequam perturbatoribus  
communiçarentur, adeo gratæ fue-  
runt, vt iam iam ex vtraque parte fuissent  
consignandæ, nisi illi suis consi-  
lijs imp̄iſſimis intercessissent. Alias p̄  
Baronem de Selles ex Hispanijs allatę,  
omnib⁹ etiam probis quam maximè  
exoptabiles. Nouissimè per Principes

Ger.

Germaniæ Electores, & alios ab Imperatore & Regia Majestate Coloniæ Agrippinæ deputatos ad tractationē pacis cum statibus prouinciarum, usurpatoribus adhærentium? Num etiam optimo iure malorum authores dicuntur? Qui patriæ libertatis se amantissimos simulant, quin & pro cæmori paratissimos: quum interea omnia quæ ad illius faciunt ruinam, consulant, & prosequantur, nullosq; non suo loco moueant lapides, quibus illa hactenus erecta stetit, ac immobilis constitit aduersus omnes hostes licet potentissimos? Qui pro Rege Hispaniarum Belgij vero hærede ac domino satagunt quibus possunt studijs, vt exterus aliquis Princeps eligatur, & in dominum ac Principem Belgij suscipiatur. Qui effecerunt, vt Ultraiecti & alibi nouæ inirentur conspirationes seu foedera, religioni Catholice ac Regiæ Majestati ex professo contraria. Qui libellos perplures defamatorios in populo spargi curarunt, aduersus Regem sicut, Religionemq; Catholicam, ac Ecclesiasticos omnes, nec non

non articulos pacis à sua Maiestate oblatos. Qui milites exterros, Gascones, Anglos, Scotos, Francos in Belgium introduxerunt, & contra Regem ac Patriam armarunt. Qui iura recon diderunt in vaginis militum, & in eorum manibus illorum exequutiones. Qui permittunt, vt quisque pro desi derijs viuat, & quantum libet, iniquitatibus se inebriet. Qui sic negotia Reipub. Belgicæ turbarunt, & suis cō filijs eò pertraxerunt, qui illos sequuntur, vt sentientes se reos lēsæ Maiesta tis, nullas pacis conditiones quamuis æquissimas, admittere audeant, conscientia generante in ijs diffidentiam atque etiam desperationem, perpetuo versante ob mentis oculos immanitate scelerum. Qui præsens bellum opinione iniquissima, qua imbuti sunt, potius quām ratione fuscitarūt, & hactenus fouent. Porrò iniustissimum esse bellum, quod ab usurpatōribus geritur, vel ex eo colligas, quod cum Regis sint subditi plurimisque illi obnoxij beneficijs, contra suum Regem bellum hoc intestinum susci-

N taue-

tauerunt, & adhuc usque nutriunt. Iustum equidem bellum definiunt Doctores, quod à legittima & suprema potestate infertur intentione recta, & iusta de causa. Sed quæso unde illis legittima & suprema potestas, cuius solius est bellum indicere seu mouere, nisi usurpatione propria, & auspicijs ac seditionibus plebis, adulationibus ipsorum corrupræ? Quæ iuxta Prophetiam Ezechieli, Vnum tollens de leonculis suis, leonem constituit eum, quia incedebat inter leones, & factus est leo, & didicit prædam capere & homines devorare: didicit viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere: & desolata est terra, & plenitudo eius à voce rugitus illius. Intrarunt igitur ut vulpes, regnant ut leones. Deinde qua ratione iustum docere poterunt, suscitati à se belli causam, cum Principum electorum Germaniæ iudicio, & eorum qui ad pacem Belgio conciliandam fuere deputati, omniumq; qui sana sunt mente, Regia Maiestas Belgio omnia obtinuit, quæ à Catholico ac etiam be-

ni-

nignissimo Principe desiderari pos-  
sent? Sed quid cum illis agat, qui neq;  
ius, neque bonum, neque æquum re-  
cipiunt. Certè cùm omnibus illis bo-  
na Regis fisco ascripto restituerit:  
Cum Hispanos pro desiderijs eorum  
ex Belgio reuocauerit: Cum quæcun-  
que ab eis in ipsius Maiestatem fuerat  
sceleratè commissa benignissimè re-  
miserit, aliaque innumera contulerit  
beneficia, nihil tamen humanitatis, &  
æquitatis ab illis obtinere vñquam po-  
tuit. Quæ vt non fecisset, nequaquam  
attamen Regi suo bellum inferre!, &  
aduersus illum populum Regiæ Maie-  
stati subditum commouere, vel ei de-  
negare debitam obedientiam potue-  
runt. Subditi estote (inquit D. Petrus)  
<sup>1. Pet. 2.</sup>  
non tantum bonis & modestis, sed et-  
iam discolis. Quibus conformis est  
Senecæ sententia: Aequum atque ini-  
quum Regis imperium feras opor-  
tet. Neque etiam belli seu verius suæ  
rebellionis causam iustificare ipsis  
licet per iniurias, quas à Rege acce-  
pissent, cum nullæ fuerint. Neque  
quod pacem procurare studeat, cùm

Rex vltrò & sua sponte eam offerat. Neque quod auitam restituere cupiant religionem, quum eam ex quo in Belgium illata est, ad hoc vsq; tēpus, quo isti & regnum & religionem mutare conantur, illibata permansit, & quam sua etiam Maiestas deuotissimè obseruat, atque ab omnibus Belgis obseruari maximè desiderat. De illorum intentione quid attinet dicere, cùm eorum opera doceant, ambitione infectam, simul & nimia dominandi libidine, necnon malevolentia in Regem perditissima, atque etiam Caluinismo, cuius natura est cière factiones ac seditiones. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hæc sunt (inquit D. Augustinus) quæ in bellis iure culpantur. Et hæc quidem simul omnia, in eorum animis esse, qui bellum fouent, omnem exsugentes substantiam subditorum Regis, nemo ex prædictis non videt. Quapropter constat, iniustissimè hoc bellum abijs geri. Vbi vero iniustitia dominatur,

D. August.  
con. Faust.  
li. 22. c. 74.

tur, vel scopus est ad quem collimatur, quid aliud esse potest bellū, quām latrociniū? Quid aliud milites, quām scelerati raptores, sicarij latrones, homicidae. Ad hæc cum ministri sint in uasorum, qui calamitates, quibus op̄ primitur Belgium operantur. Nōnne in eos quibus merent omnia ipsorū facinora recidunt? Atque tantò magis quod neminem pro facinoribus, quātumuis enormibus, latrocinijs, depræ dationibus, rapinis punierint. Sed cōtra s̄epius similes exaltarint, & ad lautiōres promouerint conditiones. Qd' est non modo licentiam facerē, quæ liber perpetrandi scelera, sed etiam ad ea excitare, inflammare, impellere. Nihil est (inquit D. Augustinus) infœlicius fœlicitate peccantium, qua gehennalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior, roboratur. Ergo

*Bis nocet quisquis pepercit malis,  
Veterem ferendo iniuriam iniustas nouam.*

His alijsq; plurimis, quæ adhuc adduci possent, constat, in capita eorum, qui se iniusti belli fecerunt authores,

Aug. in ep.  
ad Marcel.

182 CAVSÆ CALAMITAT.  
omnia scelera, iniquitates, persecu-  
tiones, tyrannides, rapinas, homicidia  
recidere, ac etiam apud Deum & ho-  
mines, omnium eorum quæ utrinq;  
in hoc bello intestino commissa sunt  
& cōmittuntur, esse reos, adeoq; ten-  
ri ad restitutionem, reparationem, &  
satisfactionem, ut apertissimè docet  
Reuerendissimus Dominus Leonar-  
diensis M.N. Cuncerus in libello supe-  
rius citato. Videant iam qui satisface-  
re tot tantisq; malis poterunt, quæ vel  
præcepto vel indulgentia, vel eorum  
stipendijs fiunt, & quæ hoc bellum in-  
testinum pariunt,

*De hæresiarchis, qui in Belgi-  
um sunt introducti.*

*Cap. XVII.*

**L**eu*it. 26.* Erum enim uero, quoniam bel-  
la, & quæ inde sequuntur ma-  
la, sunt flagella diuinæ iustitiae,  
quibus Deus peccatores castigat, ut i-  
psomet per scripturam sacram testa-  
tur. Quod si(ait) nō audieritis me, nec  
se-

feceritis mandata mea , ponam faciem meam contra vos , & corruetis coram hostibus vestris , & subiiciemini his qui oderunt vos , &cæt. Non mihi videtur tribuenda militibus Belgium occupantibus & vastantibus , neq; etiam usurpatoribus (nisi quatenus nostri tortores sunt & exsequutores diuinæ iustitiae) præcipua calamitatum causa , sed alio eam esse referendam , declaraturi sumus , si prius aliquid dixerimus de bellis doctoribus , quos dicti inuasores in Belgium , eieictis omnibus pastoribus , & cuiuscunque ordinis concionatoribus doctissimis , introduxerunt , ut scilicet pseudoeuan gelium Caluini disseminarent. In quo egregiè se partes illius agere declarat: de quo interrogatus paterfamilias , unde in agro suo essent zizania , respondit , inimicus homo hoc fecit. Etenim Matth. 13. quod zizania trito mali adferūt , hoc sanè inferunt hæresiarchæ Belgio , omnibus quibus possunt viribus intentes , semen Catholicæ fidei , morumque religiosorū minuere , multitudine

sectorum opprimere, ac etiam si fieri posset, extinguere. Id quod falsis doctrinis efficere si nequeunt, certè seditionibus motis & militibus ad illorum nutum paratis id attentat, ut iam plurimæ prouinciæ Belgij suo dano sunt expertæ. An non hodie evidentur multorum Belgarum sana & quieta ingenuia, seditionis illorum concionibus à mente tranquilla tanquam à statione deturbata esse? Ferunt Xenocratem concionibus ad populum habitis multorum animos perditorum ita perstrinxisse, ut illo auditio multi resipiscerent, fierentque ex dissolutis sedati: At heresiarcharum concionibus, quibus Christianæ religionis reformatores (si Deo placet) se probare nituntur, nulli fiunt meliores atque modestiores: sed contrà plurimi efficiuntur ex modestis & pacificis perciti furor, & ad quoduis scelus audendum audaces, & leonibus ferociores. Num quæso ex concionibus & inuectivis illorum constat fatis, quod si predicti doctores mendacij, vim verbi haberent, qualiter habuerūt Apostoli Petrus & Paulus

Ius, dum punierunt Ananiā, Saphyram & Elymā: Sacerdotes, Clericos, virosque religiosos ad vnum omnes interimeret, & immensas eorum strages facerent uno furoris sui iactu. Noui quendam, qui pro Caluino ex sugestu dicens sic exclamasse ferebatur: Vbi zelus pro fide nostra: vbi religionis fervor: vbi ille ardor, qui in primis sectatoribus nostræ religiōis fuit? Quotidie ambulant in foro, & ob oculos versantur, qui tantum sanguinis sanctorum (intelligebat sibi similiūm hęreticorum) fuderunt, & non commouemini, & alia his similia, quibus auditores excitabat aduersus Senatores & Regis officiarios, qui pro officio suo legibus imperialibus aduersus hęreticos quondā fuerāt vsi: Vnde etiā non parum quidam sibi timuerunt. Sed quid illum idiotam commemorem? Expendatur quid effecerit Apostata Gandaui concionatorem agens, Nónne sic commouit populum Gandensem, & milites ex eo assumptos, vt furibundi totam penè peruagarentur Flandriam, omnia vastantes, quæ ad

N 5 Dei

Dei cultum spectabant, vt Pastores & quoscunque Sacerdotes varijs afflictionibus ex patria profligarēt? Sicut & religiosos omnescū virginibus sacris, & quibuscunq; Catholicis, qui inter ceteros erant pro fide Catholica ardentiores? Nonne idem sua procaci lingua in publicis concionibus sic in Principem Auriacum debacchatus est (sentiebat fortè se ab illo ob detractiones puniendum, & furias quibus Gandenses commouerat, paululum per eum refrenandas) ut penè obtinuerit vti dictus Princeps à Gandensibus (cum ante eidem fuissent deditissimi) in æternum reprobaretur, & abijceretur. Eidem concionatori, cooperante Senatore eius ciuitatis, omnium quos terra vnquam sustinuit homine seditiosissimo. Atqui maturus Principis Auriaci aduentus cum plurimis, quibus horrore crāt vtriusq; furores, impediueret, ne id efficerent. Quā obrem & dictus Senator lata sentētia Principis, fertur exulare fuisse coactus, & Apostata clam sibi consulere fuga. Sed quid de similibus Cicero licet gen  
tilis

tilis pronuntiat? Quem(inquit)discor-  
diæ, quæm cædes ciuium, quæm bellū  
ciuale delectat, cum ex hominum nu-  
mero ejiciendum, & ex finibus huma-  
næ naturæ censco exterminandum.  
His attexere placet concionum seditio-  
tarum aliud exemplum, quod ipsi-  
met experti sumus. Antequam nouis-  
sima depredatione spoliaremur, cede-  
remur, crudelissimè tractaremur, & cū  
ignominia ex nostro monasterio &  
ciuitate ejceremur, egregius scilicet  
quidam Pseudoeuangelij buccinator,  
vix aliud quicquam tribus aut quatu-  
or diebus præcedentibus in suis con-  
cionibus, quarum auditores erant mi-  
lites, & nonnulli seditiosissimi ex fœ-  
ce populi, deblaterarat, quam quod  
nunq̄ prosperos successus esset habitu-  
ra ipsorum religio, seu potius deriso,  
quādiu nos Ecclesiastici retineremur  
in ciuitate, & nos minimè retinēdos,  
quibus poterat argumētis probabat.  
Inuidebat malignus ille prosperis plu-  
rimorum Catholicorum successibus,  
qui quo magis vexabantur, & à mi-  
litibus affligebantur, eò ardentius  
Deum

Deum colebant, & frequentiores nostram visitabant Ecclesiam. Cum interim ille pseudopropheta ex ciuibus auditores vix haberet viginti, aut ad summum triginta. Prætermittere non possum, quod horum quosdam stipendijs datis conducerent eius asseclæ, ad visitandas noui Doctoris conciones, q[uod] ne verbū quidē latini sermonis nō uerat. Etenim cum nobis in præsentia ducis cohortis militum, & nonnullorum aliorum cum illo fuisse disputandum, & disputationem latio idiomate aggressus fuisse, ab eo, mox Flandrico sermone audiui, Vernaculè, ut omnes intelligent loquere. In progressu autem disputationis, videre fuit hominem planè ignarum & Ecclesiæ dogmatum & historiarum, locos tantū communes vernaculè redditos callentem. Sequenti die, eo quod hic minus satisfecisset expectationi auditorum, rursum, in maiori virorum concessu, alium offerunt Doctorem hæreticum, hic fultus cuiusdam Iuris consulti præsentia & auxilio, statim nos aggreditur. Nobis verò aliquam-  
diu

diu detrectantibus disputationem, eo  
qd' in mensa institueretur, respondit  
gallicè ( neque etiam quicquam lati-  
nè nouerat ) non domine , & tempus  
& locus sunt oportunissima . Siquidē  
Apostolus ait: Cibum sanctificari per  
verbum Dei. Tandem ne quod præce-  
dantis diei disputatione , etiam hære-  
ticorum iudicio fuerat obtentum, no-  
stro silentio perderetur , assensim ,  
disputatumq; est de Baptismo, de Eu-  
charistia, de Iustificatione, de authori-  
tate iudicādi de dogmatibus Ecclesiæ  
& alijs varijs , illo p̄miscente simul di-  
uersa Neq; enim retineri diu possunt  
h̄eretici invno dogmate, sed modo ex  
hoc in illud , & ex illo in aliud trāfili-  
unt: vt multitudine & varietate dog-  
matū p̄posita, offuscent oculos mētis  
eius, cū quo agunt, & ignaris auditio-  
ribus multum docti videantur, vtque  
ad palinodiam cogi , vel erroris con-  
uinci nequeant: si enim vrgeas vnum  
dogma, statim aliud opponūt, vt pri-  
oris veritas indecisa maneat, sicque  
præsentes de suo seductore sinistri ni-  
hil concipient. Quod attinet ad ea  
quæ

1. Timo. 4.

quæ vtrinque fuerunt allata, nimis longum foret recensere, neque etiam huius est argumēti. Tantum dico, ut sua sequeretur principia si admitteret absurdissima parum curasse. Sicut nec si D. Augustinum ceterosque patres, seu eorum doctrinam reijceret, atque etiam irrideret. Porrò hic sanctulus sequenti die concionem habiturus, prius suggestum descendere noluit, quām altaria, & quicquid restabat, quod ad pias cogitationes populum mouere posset, subuersa atque obliterata essent. Vnum adhuc addam egregij haeresiarchæ exemplum, quod illi ipsi qui eius interfuerūt concioni, nobis retulerunt. Hic in territorio Casletensi Caluini figmenta populo propositurus, templum intrare prius noluit, quām deiectum esset dæmonibus tremendum, crucis Christi signaculum. Quòd cùm factum ægrè post multum temporis fuisset, intrat tandem templum crucis Christi inimicus, scanditque suggestum, in dominicam crucē deblateraturus. Atque ante omnia populum, qui ad Orientē versus,

sus, sese pro more Catholicorum ora-  
turus conuerterat, admonet, iubetq;  
vt dorsis orienti conuersis, ad occidē-  
tem suam faciem verterent, & illor-  
sum preces dirigerent. Quibus se nō-  
ne inimicum eius de quo scriptum le-  
gitur, Ecce vir oriens nomen eius: &  
se Principis tenebrarum occidentisq;  
Sathanæ verum cultorem protestaba-  
tur? Nunquid significabat sibi nullam  
spem conscendendi, quo ascēdit Chri-  
stus, qui in scripturis oriens dicitur, &  
splendor lucis æternæ, nec non illu-  
minare sedentes in tenebris & umbra  
mortis. Psallite ( inquit Propheta ) Psal.57.  
Domino, qui ascendit super cœlum  
cœli ad Orientem? Nunquid etiam  
facto ostendebat, nullum sibi esse  
desiderium cœlestis patriæ designa-  
tæ per paradisum voluptatis à Deo in  
Eden ad Orientem plantatum? Quid  
absurdius, qd indigni<sup>o</sup>, quā quod Bel-  
ge pmiserint sibi sic illudi ab huiusmo-  
di impostoribus? Quid socordius, quā  
quod totis viribus se non abiecerint  
flāmis, quibus segetes agri dominici

Zach.6.

Zach.5.  
Luc.1.

vi-

Iudic. 15.

videbant incendio perdi ab hæreticis,  
planè rudibus & ignaris hominibus,  
quos ob animæ pestem & damna quæ  
inferunt Samsonis vulpibus, quæ faci-  
bus ardentibus colligatis ad caudas  
suas succenderūt segetes, vineas, & o-  
liueta Philistinorum, rectè Prudētius  
comparat, inquiens:

*Tercentum vulpes Samson capit: ignibus armat:  
Tone faces candis circumligat in fata mittit,  
Allophylum segetesque cremat. Sic callida vul-  
pes*

*Nunc hæresis flammæ vitiorum spargit in a-  
gros.*

Sed his nimium immoramus. Ne  
quis vero existimet, quos supra addu-  
ximus hæresiarchas tantum fuisse in-  
doctos, alibi verò in Belgio esse doctio-  
res: audeo affirmare (præsertim cum i-  
dem non pauci viri prudentes mecum  
sentiant) rarissimos inter eos esse do-  
ctos: exceptis illis, qui apostatarunt à  
vocatione sacerdotali, vel monastica.  
**Quippe** qui frequentius ad hoc munus  
asfumantur (dignum patella copercu-  
lum) vilissimæ conditionis homines,  
futores, rabulæ, cementarij, cerdones  
sico-

sicophantę, lanarij, fullones, & huius generis alij linguam bene pensilem habētem, & prompti ad inuectiuas, male dicentias, debacchationes. Quapropter etiam grauissimè huiusmodi redarguuntur à Petro Carpentario in epistola ad Franciscum Portum, cum tamen & ipse se probet Caluinistam. De illis certè dici posset, quod Salustius de coniuratis Catilinæ. Cum neque res, neque spes vlla eis bona supersit quietam Répub. mouere pro magna mercede habent. Sed dicent: Christus pescatores ignaros & rudes ad Euangelium disseminādum assumpsit. Benè quidem, sed rudes & ignaros non reliquit. Vtpote qui præterquā quod triennio ante mortem suam exactissimè omnia illos docuerat eisdem etiam sanctum spiritum inspirauit: qui sensum ijs aperuit, ut intelligeret scripturas: Qui illos omnium linguarum scientia donauit, ut quod ex scripturis per spiritum intellexerant, accommodare, sapienter, disertè roti mundo proponerent, ac disseminarent. Apostolorum scripta, qui suam ignorantiam

Luc. 24.

Acto. 2.

O ac

ac vilitatem, ruditatis Apostolorum pallio obumbrare volūt, examinent, voluant, reuoluant, ruminent, & eos fuisse doctissimos, & maximè diuinos testabuntur. Etenim illorum scriptorum profunditatem ac energiā, quantumuis magno studio ijs incumbant, atque etiam totam consumant ætatem, nunquam comprehendere poterunt. Quod de seipso fatetur D. Augustinus, hæresiarchis omnibus ingenio atque studio, tum etiam vitæ integritate innumeris parasangis præstātor. Atqui cùm nullo docent noui doctores argumento, non singularis doctrinæ, non miraculorum, non religiosioris vitæ se à Christo illuminatos & missos. Imò verò constet esse missos ab ijs, qui à fide Catholica apostatarunt, & qui nullam habent mittendi potestatem. Neque etiam vlla vitæ sanctimonia clareant, inaudita etiam haçtenus contra Christi & Apostolorum doctrinam, totiusque Ecclesiæ traditionem proferant dogmata, meritò de ijs sentiamus, quod Christus e-  
iusq;

usque Apostoli docuerunt, de hæreticis esse sentiendum. Nempe esse seductores, fures, lupos rapaces, pseudoprophetas, falsos operarios, cæcos, & cæcorum duces. Qui secundum doctrinam D. Petri Principis Apostolorum, post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulanr, dominacionem contemnunt, audacees, sibi placentes, sectas non metuunt introducere, blasphemantes. Hi velut irrationalia pecora naturaliter in captionē, & in perniciem, in his quæ ignorant, blasphemātes in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiae, voluptatem æstimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ; in conuicijs suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterij, incessabilis delicti pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habētes, maledictionis filij, derelinquentes rectā viā. Et post pauca. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinib⁹ exagitate, quib⁹ caligo tenebrarū reseruatur. Supba. n. vanitatis loquētes, pelliciūt in delicijs carnis luxuriæ eos: qui pau-

2. Epistola.

lulum effugiunt, qui in errore conuer-  
fantur, libertatem illis promittentes,  
cum ipsi sint serui corruptionis. Si li-  
ceret, ac liberet excurrere in vitam,  
mores, studia, intentiones eorum, qui  
in Belgio sese venditant, pro verbi Dei  
nouis concionatoribus, non difficile  
foret ostendere, prædicta Apostoli Pe-  
tri verba quām appositissimē in eos  
congruere. Verūm quia id fecisse le-  
guntur plurimi & pietate & scientia  
eminentes viri grā, phicē depingendo  
similis farinæ homines, veritatem fal-  
sitatis adulterantes fermento, existi-  
maui istis mihi esse supersedendum.  
Ecquī obsecro alij esse possent, qui  
carne patrocinantes, docent vana esse  
Catholicorum ieunia, carnis morti-  
ficationes inanes, peccata confessio-  
ne, Sacerdotali absolutione, satisfa-  
ctione operum pœnitentiæ, non esse  
diluenda; Ad æternam vitam compa-  
randam, nullius exister e virtutis me-  
rita bonorum operum: Nullum esse  
internam hominis iustitiam, sola in  
Christū fide hominē iustificari: quan-  
tumuis peccauerit: Deum vt seuerum  
iu-

indicem non esse timendum: Per fidē  
in Christum se factos securos: quod  
æternam consequuturi sint beatitu-  
dinem. Quibus iactis fundamentis,  
quid relinquitur, nisi ut facto ostēdat  
belli isti doctores, id se credere quod  
docent. Id est iciunia Ecclesię soluant,  
genio pro voluptate indulgeant, car-  
nis delicias p mortificationibus am-  
plexentur, peccata nihili faciant, bo-  
na opera & institiam sectari negligāt,  
nihil timeant diuina iudicia, ac proin-  
de omni se immunditiæ ac iniquitati  
dedant, innixi fundamento fidei, in  
qua totam hominis iustificationem  
constituunt, hæc sanè & multa similia  
neceſſe est opere compleant, si doctri-  
nam proprio exemplo (quod quisque  
verbi Dei prædictor facere tenetur,  
suis auditoribus commendare, inspi-  
rare, & persuadere velint. Exemplo e-  
nim persuadetur efficacius, atq; etiam  
libentius doctrina suscipitur, quam  
verbo, quantumuis ornato. Sed hæc  
missa facientes, de malis quæ inuechūt  
in Belgium, & magis magisque inue-  
hent, nisi mature occurratur, adhuc

## 198 CAVSÆ CALAMITAT.

non nihil dicamus. Paucissimis omnia complecti licet, nimirum si affera-  
mus eos, (quod res est) suos auditores & asseclas sibi simillimos effecturos,  
& vt his nō minus conueniant, quām  
sibimetipsis, quē ex Diuo Petro & Pau-  
lo superius adduximus. Cæterū  
præter illa etiam suis blaterationi-  
bus, sine concionibus aduersus veri-  
tatem, rudem populum, qui verum à  
falso discernere nequit, in tenebras  
densissimas inducunt, efficiuntque vt  
quod prius illi erat per fidem certissi-  
num, iam fascinatis oculis hærefiar-  
charum rationibus, exornatis qui-  
dem veritatis specie, & scripturis per-  
peram allegatis incipient pro dubio  
habere, ac hæsitare, (Omitto quod  
multos peruertant, & à veritate ad su-  
as hæreses traducant) cui parti ad-  
hærere debeat. Vnde meritò de illis  
conquerentes dicant, quod Isaias scri-  
bit: Ab eis expectauimus lucem, &  
ecce tenebræ: splendorem, & in te-  
nebris ambulamus. Palpauimus sic  
ut cœci parietem, & quasi absque o-

Isai. 59.

cu-

culis attentauiimus. Impegimus me-  
ridie quasi in tenebris, in caliginosis  
quasi mortui. Verè nonnisi tenebras  
offendunt mentibus hominum, effi-  
ciuntque, ut fidei nostræ sacrosancta  
mysteria, quæ etiam Angelorum su-  
perant intellectum, ad examen & iu-  
dicium rationis tenuissimæ, etiam  
abiectionis hominum reuoce-  
tur. Quod dum fit Deus bone, in  
quot errores, quamque absurdos præ-  
cipitantur mortales? In quos infidelitatis  
abyssos non demerguntur: & de-  
mersi mox cum insipiente in corde psal.13.  
suo dicunt: Non est Deus: Credentes  
vana esse omnia, quæ fidei articulis,  
& scriptura sacra continentur. Quæ  
item tot Conciliorum authoritati-  
bus, tot sanctorum patrum senten-  
tijs, tot myriadum martyrum sunt  
consignata, & à vero nihil alienum  
vel dissonans habere, approba-  
ta, quin omnia veritati quam maxi-  
mè consona esse, sunt ad oculum o-  
stensa. Porrò ad atheismum hæ-  
resim Calvinianam suos sectatores

præparare, ac deducere, vel ex eo intel ligas, quām quod in ore nihil habeant frequentius eius cultores, quām quod malint Turcæ esse, quā Papistæ: quod q; religionē Catholicā nunq; nō varijs maledictis, execrationibus, proscindant, detestantur, vt etiam ad vnum omnes Catholicos. Deinde num Atheismum sapit hæresis, quæ de Deo in bonitate non sentit, eum scilicet peccati authorem faciens? Et quæ rur sum de Christo sinistrè indicat, ei nimurum synderesim, remorsum, compunctionem, & conscientiæ coarctationem, & tantum non perfectam desperationem ascribens. Quasi vero Christus suum ignorasset finem, & non fuisset verus Dei filius, in manu sua imperium mortis & vitæ habens. Quasi vt cæteri mortales subiectus fuerit peccatis, quæ causæ esse solent remorsus & coarctationis conscientiæ, & nonnunquam desperationis, qui in tamen, teste scriptura, ne minimus vñquam in anima eius fuerit maculæ nœvus, neque inuentus sit dolus in ore eius Imò etiam Christi doctrinam

nam multis Caluinus deprauat falsis interpretationibus. Tacebo quod apertere quædam neget, quæ tamen ipse met Christus esse affirmat. Atque ex prædictis satis perspicuum esse omnibus arbitror, quæm impiè & fallaciter nomen reformatæ religionis, quo à Catholicis cupiunt discerni sibi usurpet. Estne oro religionem reformare nolle (vt faciūt) Regi suo obedire? Ei⁹ leges ac statuta arguere ac damnare? Illi leges velle præscribere? Fautores Regis, iustitiae ac legum obseruantes persequi. An est religionem reformare, ijs qui iniustissimè alienum inuaserunt dominium, adhærere ac vniri? Eorum inuasionses concionibus suis iustificare, vt & tyrannidem, quam in Catholicos & Regis fideliores seruos exercent? An est religionem reformare, docere altaria esse subuertenda, omniaq; abolenda, quæ ad pietatem populum Dei permouere possent & solebant, antequam ipsi persuaserint se veritatis esse doctores? Id certè Athénis minimè fecit Apostolus, toto in-  
euembens studio, ut veritatis viam ir-

Acto. 17.

refragabili doctrina, & vitæ sanctimonia  
 persuaderet Atheniensibus, relin-  
 quens liberum ea subuertere, quibus  
 aliquid diuinitatis male quondam attri-  
 buerat. An est dico religionem reformare,  
 usurpatorum statuta & leges licet ini-  
 quissimas amplecti? Cum eos sciatis nullum  
 habere ius nec potestatem illa dictandi,  
 sicut nec Magistratus & officiarios con-  
 stituendi? Carent sane oecesis prouinciarum, q  
 usurpatoribus adhaerent, dominis ac  
 iudicibus legitimis. Vnde etiam fit ut, nul-  
 lus ius hodie in eisdem seruetur iustitiae ac  
 iudicij ordo. Ad hec quod Ecclesiastis refor-  
 mare dicuntur, q sua figmenta pro Dei ver-  
 bo populo credenda proponunt, q Christi  
 Ecclesiastis non soli non agnoscunt, sed odio  
 summo presequuntur? Qui sacrificium,  
 quod per totum terrarum orbem Malachias  
 prophetavit offerendum auferunt? Qui di-  
 uinum cultum, q nocte dieque; Deo exhibe-  
 batur prohibent? Qui conuersatione sua  
 ne minimi pietatis specimene suis secta-  
 toribus relinquunt? Qui ad scelus per  
 sclera viam sternunt? Nemepe ad haeresim  
 pellicentes animas instabiles, ijs scili-  
 cet permittendo cōcupiscentiarum fruitio  
 nem

nē, viamq; latā, q ducit ad perditionē docēdo & præcūdo. Cū deniq; q illos sectantur, vni inferāt virginibus Deo sacratis. Sacerdotes & monachos omnes in exilium varijs propellant afflictionibus, Ecclesias, monasteria spoliunt ac euertant, & vniuersam patriā depopulentur, nullumque sit facinus quantumuis detestabile ac horrendū, quod si possint, nō libenter perpetrēt, quomodo religionem reformare dicuntur. Valeant proinde inanes laruæ, quibus quod non sunt mentiūtur, sepulchra dealbata: intus autem plena ossibus mortuorū, omniq; spurcitia.

Matth. 23.

Quid? Calvinistas plenos omni spurcitia & iniquitate, nōnne docenteorū opera vita & doctrina? Quæ in Belgio patrarūt leui tātū trutina expēdātur, & erit quod dicimus, lōge notissimū. Ambulāt planè vt gētes in vanitate sēsus sui, obscuratū habētes intellectū, alienatiā via Dei p ignoratiā, q in illis est, ppter cœcitatē cordis ipsorū: Sed vnde q̄ so tāta corruptio in noui huius Euāgelij primis sectatorib<sup>9</sup>, nisi ex eo qđ verbū Dei spōte suscepint adultera tum,

Ephes. 4.

tum, depravatum, corruptum. Ex semine autem corrupto nihil boni produci potest. Cur autem tale suscep-

*2. Corin. 4.* rint causam, aperit Apostolus. Si (inquit) opertum est Euangelium, in illis qui pereunt est opertum : in quibus Deus huius saeculi excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangeli gloriæ Christi, qui est imago Dei. Denique incrementum dicta corruptio accepit, quod noua ipsorum doctrina carnis voluptatibus habenas laxet, eiusque illecebris viam sternat, sicq; paulatim à via Dei ac vita sanctimonia alienet, ut tandem desperantes, in profundissimam infidelitatis præcipitet voraginem, quam omnium sequitur colluuius vitiorū. Quibus irritatus Deus, grauissimis non raro calamitatibus varias affigit provincias, & tempestatibus concutit, quemadmodum hodie in Belgio fieri videmus, sentimus, dolemus, deploramus.

*De singulari causa calamitatum Belgicarum,*  
*Cap. XVIII.*



Vperius sufficienter declaratis ijs, quæ causæ sunt, vel sine quibus non fuissent, vel instrumentales fuerunt, & quæ plus aut minus ad calamitates nostras sunt cooperatæ. Nunc tandem accingimur, declaraturi singularem ac præcipuam calamitatum Belgicarum causam. Sanè prædictas pressuras atque calamitates sola Belgarum meruisse peccata, (de quibus sub initium huius tractatus) omnibus est notissimum. Inter illa autem ingratitudinē qua contempserunt seu neglexerunt p̄cepta Sacrosancti Concilij Tridētini, esse singularē & maximā causam, Deo opitulante, demonstrabimus. Princípio, quemadmodum medici nouis morbis, noua & exquisita solent adhibere remedia: Sic Deus noua peccata

ta

ta nouis poenit. vindicare solet. Sodomitarum enormia scelerata igne & sulphure de cœlo demissis puniuit. Libidinem qua filij Dei in filias hominum ardebant, diluvio Chore, Dathan & Abiron cum sibi adhærentibus, ob sibi usurpatam Moysis potestatem atq; authoritatem, dehiscente terra viuos præcipitanit in infernum. Et Græcos proper ambitionem aduersus Romanum Pontificatum, variaq; schismata ab eis in Ecclesia suscitata nonne Turcico dominio subdidit? Innumeræ possent in hanc rem adferri exempla, sed ne iusto prolixiores simus, his supercedentes, ad Belgas nostros reuerterimur. Sæpius bello, fame, peste, legimus & vidimus, quarundam prouinciarum Belgij peccata, nimirū incontinentiæ, ebrietatis, luxuriæ, auariiæ, superbiæ, neglectus diuinæ cultus, & id genus alia, quæ olim à Belgis frequentabantur, à Deo fuisse punita, nūquam tamen ex quo fidem suscepere Christianam arbitror fuisse visum, quod per haereticos rebelles diuinæ ac Regiæ Maiestati adeo barbarè tracta-

rentur, vel tali ab ijs exciperentur ty-  
rannide, quali nunc dilaniantur: Quā-  
obrem singularis huius punitionis,  
meritum singulare nobis est quāren-  
dum. Evidet harum tempestatum præci-  
puam esse causam, quod decretis Con-  
ciliij Tridentini non fuerit à Belgis ob-  
temperatum, quodque ea à plurimis  
fuerint neglecta, contempta, abiecta,  
ne dicam à quibusdam impugnata.  
Hanc eandem Reuerendissimum Dō-  
minum Ypressem (qui olim pro Con-  
ciliij decretis apud omnes sibi subie-  
ctos laborauit plurimum) afflictio-  
num rationem intelligo reddidisse,  
cuidam viro probo conferenti cum  
illo dum carcere detineretur, de præ-  
sentibus calamitatibus. Dignum sanè  
ac iustum fuit, vt qui Deo benignissi-  
mo per Cōcilium œcumenicum no-  
bis loquenti obtemperare noluerunt,  
deprauatos mores reformando, vi-  
tam corrigendo dissolutam, deside-  
ria fugiendo sacerdotalia, traderentur in  
manus dissolutorum, mundanorum,  
prauorum, & maximè crudelium  
ho-

208 CAVSÆ CALAMITAT.

hostiū, quibus velint nolint, Belgæ co-  
guntur subesse, obtēperare, scriuire, pro  
ipsorū libidine maximè impia. Quia  
noluerunt (inquit ipse met Deus) mea  
consilia sequi, sed increpationes mo-  
as deriscent, viæ suæ fructibus fruen-  
tur, & cupiditatibus suis explebūtūr.  
Non est autem cuiquam obscurum,  
coactum fuisse vniuersale concilium  
(ad quod quasi ad sacram anchoram,  
quasi ad portum salutis, quasi ad Asy-  
lūm, ad domum refugij, ad arcem mi-  
nutissimam semper configerunt ma-  
iores nostri, quoties Ecclesiæ labescen-  
ti vel collapsæ, consulere voluerunt)  
Coactum inquam fuisse Concilium  
ad refrenandos & conuincendos hæ-  
reticos, qui morum maximè perditio-  
rum accusatione, & grassantium pec-  
catorum in Ecclesia, præcipue verò  
Ecclesiasticorum, suam ab eadem Ec-  
clesia defectionem iustificare nitieban-  
tur. Deus etenim volens vna fidelia  
duos dealbare parietes, sine vnicore  
medio duos curare ægrotos, non ha-  
buit congruentius efficaciusque anti-  
dotum, quam illis propinare genera-  
lis

lis Concilij authoritatem, consensio-  
nem, Maiestatem, quibus si quæ su-  
peresset Belgis, vti etiam toti orbi con-  
ualecentiæ spes & fidelium corrupti-  
mores, scilicet multorum scandalorū  
seminaria reformarentur, & impiorū  
hæreticorum falsæ opiniones refrena-  
rentur, quæ ex corruptissimis mori-  
bus Ecclesiasticorum, ortum, robur,  
& maliciæ consummationem acce-  
pisse nemo est qui ambigat. Quod cō-  
siliū ac remedium nobis misericor-  
diter exhibitum sentiens Deus inane  
esse, imò etiam contemptibile, nec,  
quenquam scrib̄ cogitasse de pœnitē-  
tia agenda, vitaq; ad pr̄scriptum Con-  
cilio emendanda. Quo congruentiori  
quæso flagello, tantam ingratitudinē  
simulque indisciplinatos Belgarum  
mores argueret ac vindicaret, quam  
per eosipos hæreticos, quibus fene-  
stram ad depopulandā Christi Ec-  
clesiam, aperuit Ecclesiasticorum vita  
dissolutissima vt etiam omnium Ca-  
tholicorum. Ad hæc istam causam di-  
etas meruisse calamitates, euincit in-  
obedientia, quæ in omni statu genere

Cap. II.

& sexu eam est consequuta. Quemadmodum enim soluta fide vnica alicuius lyræ vel psalterij, omnis simul harmonia vitiatur : & ratione humana Deo suo conditori non obtemperante, mox contra rationem insurgunt omnes inferiores animæ partes, & eadem inter se perditissimè dissident. Ita Belgis Deo per Concilium loquacitati nolentibus obtemperare, soluta est in Belgio omnis disciplina, pariterq; omnis subiectio & obedientia exulauit, vindicante Deo in Concilij reiectione sui contemptum: Per quæ quis peccat p hæc & punitur? An nō quæso neglecto Concilio statim plurimi Belgæ Regi suo obtemperare detrectarunt? Et vicissim Belgio Magistratui ipsi subditi? An non filij parentibus inobedientes extiterunt, vxores maritis, serui Dominis, Ecclesiastici suis præpositis, & religiosi Prælati? Nunquam equidem arbitror fuisse rariorem, vel minorem reuerētiam, & obedientiam erga superiores, quam ex quo Belgæ oecumenici Concilij decreta neglexerunt, ac summa cum ingratitudine.

titudine contempserunt. Potrò ingratitudinem , qua remedium propinatum à Deo spreuerunt esse longè indignissimam , vel ex eo videre licet , quod gratiam , qua Ecclesiæ maior conferri nequit, abiecerunt, dum generalis Concilij statuta reiecerunt. Ut enim qui in deserto erranti , & inter latrones crudelissimos versanti , rectam semitam ostendit , & arma præbet , quibus munitus ad patriam illæsus pertingat , maximum contulisse beneficium censetur: Sic planè Deus dum Ecclesiam varijs deturpatam vitijs , multiplicibus implicatam erroribus , plurimo respersam fermento hæresion , voluit authoritate & consensione totius orbis per œcumenicam synodum representati , à vitijs purgare , ab erroribus extricare , contra hæreses præmunire , summum illi censendus est exhibuisse beneficium . Quapropter ingratitudinis summæ damnandi veniūt , qui istā gratiam ambabus , quod aiunt , vlnis non receperūt : magis qui contempserunt , longè aut maximè q-

## 212 CAVSÆ CALAMITAT.

Luc.19.

impugnatunt. Hierosolymorum ci-  
uitas Christo prædicente, vallo ab ini-  
micis est circundata, & coangustata  
vndique, atque etiam ad terram pro-  
strata cum filijs suis, sic ut lapis super  
lapidem in eanon relinqueretur, eo  
quod non cognouerit tempus visita-  
tionis suæ. Quid ni eadem patientur  
omnes, qui idem visitationis tempus  
non modo non suscepserunt, sed & ir-  
riserunt, contempserunt, abiecerunt,

Heb.6. & 2. exploserunt. Terra (inquit Apostolus)  
sæpe venientem super se bibens im-  
brem, & germinans herbam oportu-  
nam illis, à quibus colitur, accipit be-  
nictionem à Deo. Proferens autem  
spinæ & tribulos reproba est, & male-  
dictioni proxima, cuius consumma-  
tio in combustionem. Omnis enim  
prævaricatio & inobedientia accepit  
iustum mercedis retributionem. Eius-  
modi verò ingratos & refractarios,  
tali animaduersione, quali nūc in Bel-  
gio vtitur Deus, puniendos esse, illis  
communans apud Isaiam ostendit.  
Quid est (inquit) quod debui facere  
vineæ meæ & non feci? An quod ex-  
pe-

Esaiæ. 5.

pectauit ut ficeret vuas, fecit autem labruscas? Et nunc ostendam vobis quid faciam vineæ meæ. Auferam spem eius, & erit in direptionem diruam mæceriam eius, & erit in conculcationem. Ponam eam desertam, & non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eam vepres & spinæ. Hunc porrò locum repetentes non nihil expende-re libet. Quid oro Belgis facere debuit Deus, quod non fecit? Obtulit eis Sacrosancti Concilij decreta saluberrima: dedit eis Regem maximè Catholicum ac benignissimum, qui nihil desiderauit magis, quam observationem eiusdem Concilij. Dedit etiam Episcopos non minus doctos, quam pios, pro Concilio non segnes patronos: dedit postremo insignes verbi diuini prædicatores, qui populo non segniter ob oculos eius posuerunt peccata, & viam iustitiae exemplis demonstrarunt. Sed quid hæc profuere? Prorsus nihil. Pro vuis produxerunt Belge labruscas, quisque sui cordis præ uitatem est sequutus, & plures antido-to detriores effecti sunt, quo melio-

## 214 CAVSÆ CALAMITAT.

res reddi debuerant. Quæ cum mœ-  
rens videret Deus, quid ageret. Num  
iusto eius iudicio cōueniebat, vt au-  
ferretur illis qua protegebantur s̄epe?  
(Nempe R̄egia p̄tectio, qua aduer-  
sus fures, pr̄edones, raptores eatenus  
protecti fuerant) simulque dirueretur  
maceria, intellige custodiam, sollici-  
tudinem, defensionemque Ecclesi-  
sticam. Qnod vtique factum est, dum  
se à suo Rege subduxerunt, qui partes  
inuasorum sequuntur, & Ecclesiasti-  
cos omnes à se dicti Belgæ profliga-  
runt, eosque in exilium durissimum  
coegerunt. Ut taceam quę in eos com-  
miserunt ipsa etiam morte grauiora.  
Sequitur: Et ponam eam desertam.  
Nōnne iam desertum est, quamuis  
plenissimum populo nostrum Belgi-  
um? In quo non est lex, neque sacrifi-  
cium, non est Rex, neque Sacerdos,  
non est vllus verus Dei cultus, nulla  
iustitia, nulla disciplina. Qui sic? Quo-  
niā non est relictus, qui putet Eccle-  
siasticis disciplinis seu censuris, nec  
qui s̄eculari coērceat potestate, luxu-  
riantes palmites: Non est qui vineam

ex-

excolat, qui profunditatem iniquitatum aperiat, eamque effodiat, iniecto Dei timore , ac nouissimorum quæ impijs sunt euentura. Quapropter ne quaquam fuit difficile, Belgas omnibus præsidijs, refugijs, protectionibus destitutos , opprimi à spinis, & veprium ( hæreticos dico , qui Belgij non paucas prouincias iniustissimè occupant, & crudelissimè infestant ) crebris punctionibus lacerari ac dilaniari, uti adhuc hodie, nō sine magno dolore , & animi mœrore fieri videmus. Cui miserandæ calamitati occursum profecto fuisset, si pro intentione Cōciliij eiusque præscriptis , maturè quisque suam emendasset vitam, si relictis concupiscentijs , iustitiæ Christianæ semitas arctiores quilibet fuisset sectatus. Si Ecclesiastici omnes cum Religiosis, (in quos maximum harum calamitatum pondus recidit, nec prosrus immerito ) suam professionem luxu fastuque omni repudiato, vitæ sanctitate decorassent. Magna (inquit Sapiens) misericordia Domini & propitiatio eius conuertentibus

Eccl. 17.

216 CAVSÆ CALAMITAT.  
ad se. Verùm tam inueterata fuit ma-  
jicia hominum : Sic plurimi Ecclesia-  
stici cum monachis non paucioribus,  
luxui & prauis addic̄ti fuere consuetu-  
dinibus, vt frustra illis vitæ reforman-  
dæ normam Concilium præscripsisse  
videatur : frustra Episcopi vt ab om-  
nibus susciperentur laborauisse. Fru-  
stra Rex suis edictis tentasse eodem  
pertrahere suos Belgas videantur. Ve-  
nit lux in mūdum (scilicet Spiritus san-  
ctus in Concilio loquens, atque rectas  
vitæ vias commonistrans) & dilexerūt  
homines magis tenebras quam lucē.  
Erant enim (inquit D. Ioannes) mala  
corum opera : Omnis enim qui male  
agit odit lucem, & non venit ad lucē  
vt non arguantur opera eius. En aper-  
tit scriptura causam, cur non modo  
gratis animis, non sunt suscepta san-  
cta Cōciliij decreta, sed etiam summo  
odio à plurimis habita, vt probant fre-  
quentissimæ multorum murmurati-  
ones, lites, detractiones, rebelliones,  
aduersus exequutionem dicti Conci-  
lij suscitatae. Dolebant miseris se illis  
decretis cogi, erudiri, dirigi in vijs iu-  
sti-

Ioan. 3,

stitiæ, quas sectari minimè placebat.  
 Sciebant etiam inde grauius suum fo-  
 re iudicium. Scienti enim & non faci-  
 enti peccatum est illi. Et alibi: Seruus Iacob. 4.  
Luc. 12.  
 qui cognouit voluntatem Domini  
 sui, & non se præparauit, & non fecit  
 secundum voluntatem eius, vapula-  
 bit multis. Quid igitur mirum, si Bel-  
 gæ nunc durissimè vapulent, cum ve-  
 ritati in Concilio propositæ plurimi  
 pertinaciter vsque adhuc restiterint?  
 Cuiuslibet Præpositi non seruare mā-  
 data, piaculum est multis supplicijs  
 diluendum. Quanto pluribus expiari  
 debet, inobedientia totius Ecclesiæ  
 præceptis proteruè facta? An non Ec-  
 clesiæ præpositis dicit Christus, Qui Luc. 10.  
 vos audit, me audit, & qui vos spernit, Matth. 28.  
 spernit eum qui misit me. Et alibi: Ec-Matth. 10.  
 ce ego vobis cum sum vsque ad con-  
 summationem sæculi. Rursum. Non  
 vos estis qui loquimini, sed spiritus pa-  
 tris vestri, qui loquitur in vobis. Cum  
 verò Christus in qbusuis Ecclesiæ Præ-  
 latis audiatur, vel spernatur, cum Ec-  
 clesiæ suæ perpetuò assistat. Cum Spi-  
 ritus sanctus per Præpositos Ecclesiæ

loquatur, qui Apostolorum loca fidemque tenent. Quanto magis in œcuménico concilio istud fieri fatendum est, cui præest Christi vicarius, immò vero ipse Spiritus sanctus. Nec non adsunt omnium nationum adeoq; totius orbis Christiani Episcopi, tractantes, quæ ad Catholicorum reformationem pertineant, & quæ gravantes hæreses retundere valeant. Adhæc dictū est, Concilium vniuersam representare Ecclesiam, aduersus quam promisit Christus portas inferni non præualituras, Ecclesiam dico, quæ columna est veritatis & firmamentū. Enim vero quoniam tanta est Concilij generalis dignitas ac maiestas, poenis grauissimis merito eos multari vult Christus, qui illi obtemperare, illi<sup>o</sup> sanctiones recipere & amplecti noluerint. De quibus talem ipse profert sententiam: **Qui** Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Aethnicus & Publicanus. Atque hinc etiam est, quod Belgæ ab infidelibus hæreticis, iuxta Christi verbum hodie sicut Aethnici & Publicani tractentur. Nimirum quod noluerint

1. Tim. 3.

Matt. 18.

rint amplecti Ecclesiæ, seu synodi œ-  
cumenicæ mandata. Quod equidem  
nobis mirum videri non debet, cum  
in veteri lege Deo iubente morte pu-  
niatur, qui Sacerdoti solū immorige-  
rus fuerit. Qui superbierit (inquit) no-  
lens obedire Sacerdotis imperio, qui  
eo tempore ministrat Domino Deo  
tuo, ex decreto iudicis moriatur ho-  
mo ille, & auferes malum de Israël,  
cunctusque populus audiens timebit,  
vt nullus deinceps intumescat super-  
bia. Itaque cum nullum peccatum a-  
pud Deum maneat inultum, necesse  
profecto est id puniri, aut propria pec-  
cantis censura ( si ( inquit Apostolus) Rom.ii.  
nos met ipsos iudicaremus, non vtiq;  
iudicaremur à Domino) aut id fiat o-  
portet Ecclesiastica vel ciuili senten-  
tia: Quæ cum negliguntur, à Deo iudi-  
ce longè æquissimo pro meritis mox  
puniuntur. At qui cum Belgarum pau-  
cissimi sua in se vindicarint peccata:  
cum penè nulla ordinaria in Belgio  
censura, nec vlla ciuilis potestas in  
illa zelo iustitiæ & diuini succensa  
amq.

amoris exarserit, diuinæ sanè fuit Iu-  
stitiæ, illa pro meritis punire. Quod  
nunc facit, licet remedijs asperiori-  
bus, ac cōmodistamē sanandis mor-  
bis & ægritudinibus, quæ vniuersa no-  
bis à Deo prius propinata remedia ha-  
ctenus respuerunt, suntq; abomina-  
tæ. Porrò vt quisq; clarius videat, qua  
æquitate Deus tam seuerè puniat Bel-  
gas, ob neglectam vitæ emendationē:  
illis, vti iam omnibus Christianis Sa-  
crosancti Concilij decretis præceptā,  
consultum iudicaui, si nonnulla com-  
memorarem, ex quibus intelligi pos-  
sit, quantum in cæteris articulis decre-  
tæ reformationis hactenus sit pecca-  
tum. Siquidem singula excutere foret  
immensi laboris ac studij, quod pau-  
cis gratum esset futurum, dicerent e-  
nim non fuisse Christianæ charitatis  
ac prudentiæ, exactius vitam Ecclesia-  
sticorum, ac mores deprauatos discu-  
tere, propalare, & scripto posteris re-  
linquere. Evidem illis assentirer, nisi  
ante me tot tantiq; viri, non minus  
doctrina, quam pietate illustres idip-  
sum fecissent. Imò & ipsa Synodus  
præ-

præscribens deprauatis moribus leges contrarias , & quotidiè audirenur quærelæ piorum aduersus ecclesiasticos, atque etiam aduersus eos ex suggestu diceretur ab ijs, qui zelo Dei præ cæteris feruent. Assentirer, inquam, nisi tanti esset momenti emendatio Ecclesiasticorum , & sanctior religio- forum conuersatio, ut nisi ea præcesse rit, nulla spes reformandæ Ecclesia remaneat, neque reprimendi hæretico- rum conatus, neque sedandi dissensi- ones, bellaque intestina , neq; fruendi aliquando pace exoptatissima. Quæ cùm nemo sit Catholicorum , qui nō totis præcordijs exoptet, non mihi (ut quidem arbitror) quisquam succē- sebit, si vt dicta promoueātur & perficiantur, leuiter attigero quædam, in quibus à statutis Concilij, decretisq; grauiter hactenus ab illis est erratum. Longum enim foret quorundam par- ticularium describere (neque etiam id expedit) vitâ pditam, q; à pijs sæpius cū animi dolore arguitur, ab impijs verò passim accusatur, dñatur, maledici- citur. Omittentes igitur illa: & partem

220 CAVSÆ CALAMITAT.

reformationis, quæ est de abusibus & erroribus, qui circa sacramenta, resq; sacras, seu etiam dogmata Ecclesiastica versantur, eius tantum partis quæ decreta est, pro fulcienda labenti & propemodum collapsa Ecclesiastica disciplina, quosdam tantum percurremus errores, quibus vitatis, Ecclesię Christi totiique Belgio quam optimè consultum foret.

*Ostenditur non fuisse obtemperatum decretis Concilij Tridentini.*

*Cap. XIX.*

**I**mprimis sciens sancta Synodus plurimorum Sacerdotum tantam esse ignorantiam, vt non desint, qui missas & diuina officia vix legere sciāt (unde fit, vt inter dētes submissius ea missent, ne ab assistentibus reprehendātur) tantum abest vt energiam, virtutem, dignitatem illorum, & status Sacerdotales intelligant, vel tueri possint. Ista quoque ignorantia esse effectum

Etum, ut nonnulli animarum pastores, lubentius legendis & sectandis vanitatibus ac secularibus animum intenderent, quam ut articulos fidei nostrae, vel dubia quæ ab hereticis quotidiè aduersus illam proponi solent, scrutarētur & exactius disserent. Nonne hodie rarissimi sunt, q studio quo decet perscrutantur, materias de libero arbitrio, de gratia Christi, de operibus & meritis eorum, de natura & fructu sacramentorum, ac etiam legum Ecclesiasticarum & consuetudinum, & similia Theologia dogmata? Malach. 2.  
Quamuis de illis scriptum sit, Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Nonne plurimos reperias, qui lac ouium suarum comedentes, & lana sese cooperientes ignorant, quomodo subiectos pascere debeant? quomodo consolidare infirmum? sanare agrotum? confractum alligare? abiectum reducere debeant? & querere quod perierat? quod pingue & forte custodire? Imo qui nesciant iudicare inter pecus

## 222 CAVSÆ CALAMITAT.

pecus & pecus , arietem & hircum? Quid autem de illis dicam, quibus nō satis fuit ista neglexisse, nisi etiam sua conuersatione dissolutissima, & ignorantia nimis socordi , falsisque opinionibus, subitos suos vel inficerent ac etiā pderēt. Aduersus quos Dominus apud Ezechielem quæritur, Nónne satiis vobis erat, pascua bona depasci? Insuper & reliquias pascuarum vestrarū conculcastis pedibus vestris, & cum purissimam aquam biberetis , reliquā pedibus vestris turbabatis , & oues meæ his quæ conculcata fuerant pedibus vestris pascebantur , & quæ pedes vestri turbauerāt, hæc bibeant. Quia propter talibus pastoribus apud Prophetas Ieremiam & Zachariam iudicium grauissimum Deus minatur. An non simile iudicium timere conuenit doctos quoque, & maximè Theologos, qui refugientes officia pastoralia, canonicatus & opima quæque beneficia ambiunt ac prosequuntur? Nónne tales quærunt, vnde lantius pascantur, non autem vt alios pascant? Nónne talentum sibi à Domino gratia versus

Hiere. 23.25

Zach. 10.11

suræ spiritualis exercendæ commis-  
sum, suffurantur? Nónne per eos sit, vt  
populus Domini & oves pascuæ eius,  
necessæ sit pasci ab idiotis & planè ru-  
dibus, vix idoneis, vt ipsi pascantur?  
Verùm ad rem veniamus. Præsciens  
sanctissima Synodus per ignorantiam  
Ecclesiasticorum, plurimos & in mo-  
ribus, & in fide irrepsisse errores in Ec-  
clesiam, præcepit volens istis malis oc-  
currere, vt in celebrioribus collegijs  
ac in monasterijs esset ordinarius sa-  
cræ Theologiæ professor, cuius lectio-  
nibus depulsis ignorantia tenebris, o-  
mnes illius loci Ecclesiastici doceren-  
tur. Quod minimè hactenus fuisse fa-  
tum euincunt hæreses, quæ in Belgio  
hoc tempore grassantur, quibus an-  
sam & robur præbuerunt crassa nimis  
ignorantia, & conuersatio Ecclesiasti-  
corum indisciplinata. Vbi verò lecto-  
res Theologi instituti probantur,  
num etiam fuerunt auditores? Sanè  
rarissimi ac penè nulli, vt ipse vidi in  
Collegio celeberrimo & ciuitate, vbi  
numerossissimus erat clerus: Vbi vix  
vnus atque alter ad Theologicam le-

Q

ctio.

ctionem conueniebat; & tales qui mi-  
nus egebant doctrina, & qui Ecclesiæ  
per ætatem & corporis constitutio-  
nem prodeße nequibant. In cœnobijſ  
verò non minus hac parte peccatum  
esse, docet plurimorum monacho-  
rum ignorantia nimis crassa. Quid o-  
ro sacra iuuat lectio, si clerus & mona-  
chi non intersint? Quod facile certè  
obtineretur, si q̄ celebriores inter il-  
los habentur, & quotū est alios dirige-  
re, arguere, prælucere, præire, ad lec-  
tiones ipſi conuenirent. Exempla enim  
efficacius mouent, quām præcepta.  
Quamuis & hæc non leuiter extimu-  
lent. In secundo reformationis decre-  
to vult, ut qui Ecclesijs præsunt, à ſei-  
pſis reformationis initium ſumant: ei-  
ius reddens causam ait, Integritas præ-  
ſidentium ( verba ſunt Concilij ) ſalus  
eft ſubditorum. Sed quo tu ſquisque o-  
ro in Belgio Præſidentium huius præ-  
cepti cauſa, luxum fastumque conſue-  
tum remiſit, ſuisque ſubditis virtute  
ac vita ſanctimonia præluxit? Quin  
nōne fuerunt, qui profundius huius  
ſeculi voluptatibus ſeſe immerge-  
rent

rent ac deuouerent suis interim ouibus palantibus, ac fame tabescentib⁹, eò quod non esset qui illis frangeret panē. Vult deinde Synodus, vt Ecclesiasticarum regimē ijs conferatur, qui maximē digni, & quorum conuersatio irreprehensibilis fuerit, quiq; morum grauitate, ac literarum scientia pollent, & Pastorum officia per se præstare valeant: Non autem ijs qui ambitione magna, & muneribus id muneris prosequuntur. Nec huius habitam fuisse rationem, testatur secularis ambitio saque vita, & in officijs pastoralibus negligentia plurimorum, qui assumpti fuerunt ad regimen animarum. Illis interim abiectis, quibus religio fuit illa, vel solo ambire desiderio, & qui eminebant scientia, virtute religiosa conuersatione, scilicet tanquam ineptis ad temporalium administrationem, & cum mundo conuersationem. Quæ hodie tanti fiunt, vt isthæc nonnulli præ cæteris necessaria cuique Prælato existiment. O præpostera hominum iudicia! O peruersitatem execrandam!

Q 2

Af.

Assumuntur Prælati ad animarum regimen, vt subditos vias Domini doceant, atque à deuijs reducant: & in eis quæritur Sapientia sacerdotalis ac mundana. Assumuntur vt subditis prælucceant virtutibus ac spirituali conuerstatione, & requiruntur qui terrenis ac mundo seruant, illisq; se immergant. Quum esse tales in Ecclesia maximè doleat Synodus, Dolendum (inquit) hoc tempore reperiri, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestib⁹ & diuinis humana præferentes, in diuersis, vagantur curijs, & in negotiorum temporalium sollicitudine ouili derelicto, atque ouium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos. Hic sanè cardo versatur totius corruptionis Ecclesiastorum. Siquidem naturale est, & à Deo ordinatum, vt subditi suos Præpositos in vijs Domini sequantur, sicut oves pastorem. Pastor (inquit Christus) cum proprias emiserit, ante eas vadit, & oves eum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Illis proinde errantibus necesse est omnes errare, qui ipsorum

vestigia sequuntur, quinimo & demer-  
gi in idē damnationis barathrum. Vn-  
de eadem Synodus: Totius (inquit) fa-  
miliæ Domini status, & ordo nuta-  
bit, si quod requiritur in corpore, nō  
inueniatur in capite. Quibus Conci-  
lij verbis, vt arbitror, satisficeret, si ad  
Prælæturas, dignitates, & quælibet be-  
neficia animarum curam habentia af-  
sumerentur, qui multo vsu ac tempo-  
re perdidicissent, qua pietate, quo stu-  
dio, quibusue pharmacis, sit animarū  
languoribus medendum, & pastorali-  
bus satisfaciendum officijs. Cuius dū  
nulla ratio habetur, factum est, vt nō  
nulli (heu dolor) hodie inueniantur  
Prælati, quibus nulla est pietas, nulla  
sollicitudo, nulla prouidentia, nulla  
compassio erga suos, quiq; æquorum  
& rei familiaris maiorem curam ge-  
runt, quam suorum subditorum. Ne-  
que enim solio sublimati ad exercitū  
eorum, quæ nunquam didicerunt se-  
se dimittere possunt. De beneficiorū  
autem pluralitate, quis enarret, quam  
malè seruentur quæ Concilij decretis  
sunt præcepta. An etiam quisquam

est, qui retento vnico cætera resignari beneficia, quæ possidebat, & non potius plura illis addere optarit, atq; etiam addiderit, si quæ consequendi se obtulit occasio. Cum interim quotidiè plurimi videantur Sacerdotes, huc illuc cursitare, & quasi emēdicare subsidia, quibus vel tenuiter vivant: illis qui Sacerdotijs, seu plurimi beneficijs onusti sunt, luxuriantibus Christi patrimonio. Evidem ferunt ante has turbas sic in pretio fuisse apud Belgas Ecclesiasticos, beneficiorum pluralitas, ut non modo impunè ea multiplicarent, sed plurimi etiam inde gloriarentur, & hominum laudes captarent: certo scilicet ostentantes iudicio, quot quantisque onerati essent beneficijs: atque etiam curantes suis ascribi monumentis multum dignitatum beneficiorumque numerum. Quod quid aliud est, quam illis humanam venari gloriam, quorum pudere eos oportuerat? Quā ea, quæ iniustissima sunt iustitiae deputare? Quām inde mercedem sperare, vnde certissima est expectanda dam.

damnatio, scilicet nisi condigna poeni-  
tentiae iatisfactio præcesserit? Perinde  
profecto tales fecisse mihi videntur,  
atque si quis quod pluribus esset iun-  
ctus uxori bus in theatrum productus  
prædicari cuperet, quod præ alijs esset  
pluribus exornatus, seu verius deho-  
nestatus colis siue furcis pensa, quæ  
fuso trahuntur continentibus. De  
Symoniacis quid attinet dicere, quū  
eos in summo fuisse numero nemo  
sit qui ignoret? atque etiam innume-  
ras transactionum, contractuum, re-  
nuntiationum, creandarum pensio-  
num, redemptionum, & similiū ex-  
cogitasse praxes maximè intricatas,  
quibus suā Simoniam palliarent? Tā-  
tum de illis: Inferiora vero beneficia  
potius cognatis, seruis, & in quos affe-  
ctione propendebant, quām personis  
dignis atque idoneis, & qui per seip-  
sos officia exercerent: nōnne contrā  
Concilij sanctiones visum est hacte-  
nus fuisse collata? Argumento sunt  
frequentes querelæ eorum, qui di-  
uino zelo ardent, & illorum ino-  
pia, qui verbo & exemplo Ecclesiæ

prodeesse poterant : si quid subsidijs ex bonis Ecclesiæ acciperent, & in numero eorum, qui eius gaudent beneficijs ascriberentur. De canonicarum horarum lectione hoc solum dico, ea à permultis negligentius fuisse perolutam. Quin etiam à non paucis contra fundatorum intentionem, Ecclesiæ mandatum, & sanctam suam vocationem, fuisse neglectam, contemptā, irrigam, licet pluribus ijsque opimis fruerentur beneficijs, collatis utique propter officia, quæ sperantur Deo & Ecclesiæ ab illis exhibenda. De quibus non incongruè quidam mihi dixisse videtur: Qui in beneficijs est pluralis & non est in officijs, erit equidē pluralis in supplicijs. Deinde p̄cepit Synodus Ecclesiæ Prælatis, vt Pastores se esse meminerint, non percussores, sicq; præsint subditis, vt in eis non dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligentes, ubi deliquerint secundum Apostoli præceptum, arguant, obsecrent, increpant in omni bonitate & patientia. Verum nunquid hæc constat fuisse neglecta, dum securitate

ac minis nonnulli extorquere à subditis maluerunt illa, quæ ipsi ne quidem extremo digiti contingere volebant. Plurisque fecerunt leuissimam offenditam omissam in se commissam, quam innumera quibus saepius grauissime Deum offendebant: Alij vero non pauciores fuerunt, qui omnem subditorum disciplinam neglexerunt, vel in suos vicarios transtulerunt, molestias, quæ inde sequi solent subterfugientes: vel in subditis indulgentes, quæ in scipiosis maiori punitione digna sentiebant. Quot quoero in Belgio erat Prælati (exceptis qui ordinis mendicantium sunt) qui emendationi subditorum per seipso iuxta synodi decreta intendebant. Rara sanè auis in terris & nigro simillima coruo. Ad hec auaritiam, (quo nullum in Ecclesiasticis vitium tetrius) ex domo Domini censet synodus tollendam. Sed Deus bone, quam rari fuerunt, qui illam à se abiecerunt? Vnde quoero tantum in Ecclesiasticis desiderium beneficia multiplicandi, & ex ipsis pensiones creandi, nisi ex auaritia, quam idolorū ser-

## 232 CAVSE CALAMITAT.

uitutem nominat Apostolus : Vnde tot tantæque quærelæ aduersus Ecclesiasticos minimum liberales? Nónne ex eodem fonte emanauit , quod in nonnullis Canonicorū capitulis(quæ olim fuerunt loca vbi delicta purgabantur, & quæ faciunt ad promouendam vitæ perfectionem, tractabantur) aliud nihil hodie, vt ferunt, tractatur, quam de temporalibus ipsorum bonis conseruandis, vel augendis, neglecta interim vitæ reformatione cum primis necessaria. Verè de Belgis diei potuisse arbitror illud Ieremiæ, A minore usque ad maiorem omnes auaritiæ studēt, & à Propheta usq; ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Prorsus Ecclesiasticorū auaritia & ambitione (hæ nempe sanguisugæ sunt, quæ semper dicunt, adfer, adfer, nec unquam satiantur) factum videmus, ut plerisq; in locis virtus & doctrina negligenter, vitium & ignoratiæ honorarentur, ut ædificatio omnis abiret in destrunctionem, misericordia in impietatem, pietas in fucum & hypochrisim. Præter hæc quis non videt, quæm prudenter

Syno-

Synodus ordinariit, vt Clerici omnes  
in sortem Domiri vocati, vitam &  
mores suos sic componant, vt habitu,  
gestu, incessu, sermone, alijsque om-  
nibus rebus, nil nisi graue, modera-  
tum & religione plenum, præ se fe-  
rant? Leuia etiam delicta, quæ in ipsis  
maxima essent effugiant, & vt corum  
actiones cunctis afferant venerationem.  
Perpendatur oro, quantum in  
prædictis, vita dissolutione, mori-  
bus incompositis, frequentia com-  
missionum, cupediatum apparatu,  
superba suppellectile, famulorum mul-  
titudine, fastu Regio, nimiisque super-  
bo vestium luxu, sermone inulso, in-  
cessu molli ac seculari, indisciplinatis  
gestibus (vt omittam his grauiora o-  
mnibus satis nota) olim sit peccatum,  
& apparebit, non sine iustissima causa  
nos premi calamitatibus: Quarum  
breui finem futurum sperarem, si mo-  
do decessent, qui in prædictis delinque-  
rēt. Rursum præcepit Synodus, quibus  
animarū cura cōmissa est, vt oues suas  
curent agnoscere, pro ijs sacrificium  
offerat, easq; verbi diuini p̄dicatione,

sacramentorum administrationem, omniumque bonorum operum exemplo pascant: pauperum aliarumq; miserabilium personarum curam gerant paternam, & in cætera munera Pastoralia toti incumbant. Quotus quisque quæso est inter primos & præcipuos pastores, qui illis per se ritè satisfaciat? Qui frequenti sollicitatione & curatione suas oues cognoscat? Pro subditis (plerique sibi videntur bēnè functi officio, si bis terūe in anno id fecerint) saepius sacrificet? Qui instet, moneat, hortetur? Qui verbum Dei ijs prædicet? Qui sacramenta præser-tim pœnitentiæ (quo dignoscere suas oues melius queat) administret? Equidem subditorum multos mori arbitror, quos ne semel quidem ægrotos Pastores visitauerint, consolatiq; fuerint, tantum abest, vt horum confessionem vnquam exceperint: Quid de exemplo bonorum operū dicamus? Cum plurimorum vita talis sit, vt inde villa virtutum exempla peti nequeant. Sed forsitan pauperum & misero-rum curam sic gerunt, vt illis vacare

nō sit liberū. Quod si est, meritò dici  
eis possit: hæc vos oportuit facere &  
illa non omittere. Imò verò illa per  
vosipso fecisse decuit, hæc verò si tem-  
pus non suppetebat, per alios. Verum  
autumo hac responsione non esse o-  
pus, cum extiterint rariores, qui hu-  
iustmodi misericordiæ operibus inten-  
derint, quam alijs officijs pastoralib⁹.  
Oēs (inquit Apostolus) quæ sua sunt  
querunt, non quæ Iesu Christi. Quod  
si initio nascentis Ecclesiæ à Christi  
Apostolo dici potuit, num multò ma-  
xime id licet nouissimis istis tempori-  
bus, quibus iniquitas superabundat,  
refrigescit autem charitas? Deficeret  
calami & atramentum citius, quam  
scribendi materia, si describere atque  
exagerare vellemus singula, quibus ni-  
mis turpiter nec sine multorum scan-  
dalo est hactenus in seruandis Conci-  
lij decretis erratum, & maximè ab Ec-  
clesiasticis. A planta enim pedis, usque  
ad verticem non est sanitas. Cæterum  
ne nimia prolixitate lectori graues si-  
mus, finem his imponemus, præser-  
tim cum videātur superius allata suf-  
fice-

Matt. 13.

Philip. 1.

Matth. 24.

ficerē, vt o nniib⁹ sit persuasum, iust⁹  
Dei iudicio Belgas tantis puniri cala-  
mitatibus, eo quod tecundum statuta  
Tridentinæ Synodi, vitam non com-  
posuerint, licet ad hoc ipsi mandatis  
Regijs impellerentur. Episcoporum  
deinde edictis, imo & totius Ecclesiæ  
authoritate. Tantum de monachis &  
Religiosis (qui id debent esse Ecclesiæ,  
quod arcī ac ciuitati sunt præsidiarij  
milites) hoc dixero, paucos admodū  
fuisse, qui iuxta Conciliū ad Regulæ  
quam professi sunt præscriptum vi-  
tam syncere instituerint, qui vota pau-  
pertatis, castitatis, obediētiæ, & quæq;  
alia vota particularia sui ordinis debi-  
tè obseruauerint. Qui bona mobilia  
& immobilia quocunq; nomine obtē-  
ta statim resignauerint. Qui sacerdicia  
more repudiato, se totos Deo secun-  
dū professionē stā deuouerint. Quod  
autem ad Prælatos eorum attinet, o-  
mnibus est notissimū, paucos fuisse,  
qui non eadem sibi & subditis indul-  
sint, quæ prius, qui non səpius cum  
laicis q̄ tuis confratribus sint conuer-  
sati. Qui non omnia sibi licere, eo ipso  
quod

quod essent Prælati, arbitrati sunt, verius dominantes, quam forma facti gregis verius seipso, & sibi sanguine, affinitate, aut familiaritate iunctos, quam Domini pascentes gregem. Ceterum de illis fusius in lib. Institutio-  
num monasticarum secundum Sa-  
crosancti Concilij Tridentini, quos  
anno 1572. emisimus.

*Ecclesiasticorum peccata Deo  
esse maxime inuisa.*

*Cap. XX.*

**P**orrè Sacerdotum ac Religio-  
sorum, & omniū qui diuino se-  
deuouerunt cultui peccata, apud Deū esse maximè abomināda, &  
mereri, vt grauissimis supplicijs subde-  
retur, docēt plurimæ scripturæ. Et im-  
primis hæc Dei apud Ezechielē quæ-  
rela, dicentis: Sacerdotes contem-  
perunt legem meam, & polluerunt  
sanctuaria mea: Inter sanctum & pro-  
phanum non habuerunt distantiam,  
inter pollutum & mundū nō intelle-

238 CAVSÆ CALAMITAT.  
xerunt, & à sabbathis meis auerterunt  
oculos suos, & coinquinabar in me-  
dio eorum. Et post pauca: Quæsiui vi-  
rum de eis, qui interponeret sepem,  
& staret oppositus contra me pro ter-  
ra, ne dissipare in eā & non inueni. Et  
effudi super eos indignationem me-  
am, in igne iræ meæ consumpsi eos:  
viam eorum, in caput eorum reddidi,  
ait Dominus Deus: Nunquid hanc  
Prophetiam in nobis impleri videm?  
Nónne in caput nostrum recidit via,  
seu vita parum disciplinata? Nónne  
fentitur melius, quām cernitur Do-  
mini indignatio, effusa super Belgij  
Ecclesiasticos? Nimirum quod(tan-  
tum aberat, vt se interponerent murū  
pro domo Domini, vel compateren-  
tur super contritione Ioseph.) extite-  
rint plurimi, qui nimia dissolutione  
& prauis moribus fuerint plebi scan-  
dalo, & causa cur sanctum nomē Dei,  
cui se deuouerant, inter gentes blas-  
phemaretur, plurimi que à vijs Domi-  
ni auerterentur. Quos ita Dominus

Amos.6.

Malach.2.

apud Malachiam alloquitur: Vos re-  
cessistis de via Domini, & scandalisa-  
stis

stis plurimos in lege mea: Propter qd'  
 & ego dedi vos contemptibiles, & hu-  
 miles omnibus populis, sicut non ser-  
 uastis, vias meas, & accepistis faciem  
 in lege. Hic addere adhuc duo scriptu-  
 ræ loca, quibus constet peccatis esse  
 imputadum, quod presentibus Eccle-  
 siastici subijciantur calamitatibus, nō  
 inconsultum fuerit. Ait Dominus a-  
 pud Hieremiam. Sacerdotes non di-  
 xerunt: Vbi est Dominus, Et tenentes  
 legem nescierunt me, & pastores præ-  
 uaricati sunt in me. Paucis interiectis  
 subditur. Propterea iudicio contem-  
 dam vobiscum, ait Dominus, & cum  
 filijs vestris disceptabo. Et apud Oseā: Oseā 4.  
 Quia tu scientiam repulisti, repellam  
 te, ne Sacerdotio fungaris mihi: & erit  
 sicut populus, sic Sacerdos. Quid  
 queso, obtestorque, differentiæ nunc  
 est inter Ecclesiasticos & plebem? Nū-  
 quid ab innumeris licet vilissimis ho-  
 minibushodiè cōtemni, irrideri, ma-  
 ledictis (ne quid grauius dicā) appeti-  
 cernuntur? Nunquid etiam iustū fuit  
 ac dignum, ut qui prius Deum spreue-  
 runt, seu ipsius legem, & ipsi sperne-

R

req-

Hierem. 2.

rentur ab ijs, quibus præesse, ac prælucere debuerant, ratione sui scilicet ordinis, status & diuinorum obsequiorum, quibus se deuouerant? Plures huius generis scripturas proferre liberet, nisi superuacancum foret: Præsertim cum Belgarum nullus sit, qui non damnet peccata Ecclesiasticorum: alij quidem quod illis, & qui cum ipsis patiuntur, pio affectu condoleant: alij quod eos spretos & contemptibiles apud oēs esse summa acti impietate velint. Sunt igitur Ecclesiasticorum peccata Deo maximè inuisa, & omni punitione dignissima. Etenim sicut Regi plurimum gloria accedit, ex domo seu familia morigera, & benè ordinata (Cuius gratia Salomonem Regem summopere commendabat) Regina Saba, videns dominum quam ædificauerat, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & reliqua, quæ ibi narrantur) Plurimum verò in eum ignominia recedit, si eius domestici, familia-

res.

res, & qui ipsius gerunt vices, sciantur  
immorigeri & vitæ perditæ. Sic pla-  
nè Deus gloriosior redditur, maxime-  
que in eo delectatur, si domestici & in  
cius atrijs quotidiè conuersantes, sint  
vitæ integritate, virtutibusque orna-  
ti, & ministerium suum vitæ sancti-  
monia honorificant, electioni satisfa-  
cientes, dicentis: Sancti estote: quia Leuit. 19.  
ego sanctus sum, & separauit vos à cæ-  
teris populis, ut essetis mei. Contra  
grauissimæ iniuriæ & longè abiectis-  
simi contemptus loco habet Deus, si  
quos inter familiares gratis asciuit si-  
bi, videantur ignobiles, sectari incipi-  
tias, vanitates, concupiscentias pro-  
prias, & se abiecere. Iuxta illud: Sa- Pro. 14.  
pientis, Filius Sapiens lætificat pa-  
trem: Filius vero stultus, mœstitia  
est matri suæ. Et quidem tanto ma-  
iori contumelia DEI Sapientia affi-  
citur, & ad iram prouocatur De-  
us, quod ex dissoluta conuersatione  
illorum, quos primogenitorum lo-  
co sibi adoptauit, sciat salutem omni-  
um, qui in Ecclesia Dei sunt inferioris

gradus, grauissimè periclitari, imò nō  
raro interire: Non secus quām Regis  
dissolutione, & eorum qui ei ex officio  
assistunt, vt vicinius ei authoritate  
& dignitate accedunt, regni totius  
corruptio prouenire solet. Regnanti-  
bus (inquit Sapiens) impijs ruinæ ho-  
minum. Hinc idem, tali regno compa-  
tiens. Væ tibi (ait) terra, cuius Rex pu-  
er est: & cuius Principes manè come-  
dunt. Beata terra cuius Rex nobilis  
est, & cuius Principes vescuntur in tē-  
pore suo ad reficiendum, & non ad  
luxuriam. Certè infatuato sale nihil  
restat quo conditatur, atque putrefa-  
ctione præscreuetur populus, & lumi-  
num tenebrescente quo illuminetur.  
Quapropter iusto Dei iudicio, iuxta  
Christi Prophetiam, videmus ac etiā  
sentimus, omnes Ecclesiasticos, & qui  
diuino cultui, se singularius consecra-  
runt, suæ tamen vocationi minimè  
respondent, pro tenebris hodie haberi,  
& sicut sterquilinium etiam à vilif-  
sime conditionis hominibus vilipen-  
di. Prorsus, quanto odio Deus prose-  
quatur Ecclesiasticorum peccata, ma-  
nife-

Præver. 8.

Luc. 14.

nifestè satis declarauit , morte subita  
interimens Nadab & Abiu Sacerdo- Leuit. 10.  
tes: Eò quod scilicet non ritè suis mu-  
neribus fungerentur , temulentique  
ignem alienum offerrent: Tum quod  
Chore, Dathan & Abiron Leuitas me-  
ritò suæ ambitionis (quia plurimi ho-  
die exuruntur Ecclesiastici,) terra de-  
hiscens, viuos absorbuerit. Nónne et-  
iam peccata Ophni & Phinees Sacer-  
dotum & filiorum Heli , grauissimè  
punijt Deus? Idque non tantum in ip- Num. 16.  
sis, sed è patre quoque & toto populo  
Islaël , cæsis ex eo triginta millibus vi-  
rorum, & arca Dei capta à Philistijs: Si  
Deus tam scuerè peccata duorum tan-  
tum Sacerdotum, iniquitate sua popu-  
lum à diuino cultu & sacrificijs auer-  
tētium, punijt. Quid miramur , si hac  
tempestate, ob innumeram multitu-  
dinem Ecclesiasticorum, quibus olim  
ac etiam nunc suam professionem,  
seu vocationem sacram turpissimè  
dehonestarunt, fueruntq; laicis, qui-  
bus virtutum decore prælucere debu-  
issent, scandalo conuersatione indis-  
plinata: Quid, inquam, miramur si

R 3 cum

## 244 CAVSÆ CALAMITAT.

cum illis dissolutis, cæteri eiusdem ordinis, atque etiam Belgæ omnes, quorum pars maxima ( vt supra est ostensum) se luxui fastuique dcuouerat, eisdem calamitatibus inuoluantur, atque in manus crudelissimorum tradi-  
ti sint hostium, qui omnia prophan-  
tant, vastant, deprædantur, perdūt?  
A quibus sanè si liberari libet, prorsus  
necessarium est Ecclesiasticos, & qui  
proximè illis accedunt, religiosos sei-  
pos emendare, vitamque suam per  
omnia componere secundum Concilij  
Tridentini decreta. Quamobrem ( o-  
mnes Ecclesiasticos compello ) Cha-  
rissimi obsecro vos, tāquam aduenas  
& peregrinos, abstinere vos à carnali-  
bus desiderijs, quæ militant aduersus  
animam : conuersationem vestram  
inter gentes habentes bonam, vt in  
eo, quod detractant de vobis tanquā  
malefactoribus, ex bonis operibus  
vos considerantes, glorifi-  
cent Deum in die vi-  
sitationis.

1. Pet. 2.

Pau-

*Paucorum reformationem nō  
fuisse sufficientem, ut iram  
Dei à Belgio auerteret.*

*Cap. XXI.*

Enim uero quoniam quibusdā in locis clerus honesti<sup>o</sup> quām olim visus est conuersari, & à commessionibus, ebrietatibus, lusibus, & alijs quæ etiam quosque fideles dedecebant, abstinuisse, ac religiosius diuina quām olim peregisse officia: existimant quidam tragediarum Belgicarum causam minimè esse, quod Tridentinæ Synodi decretis minimè sit obtemperatum, quodq; Ecclesiastici mores & vitam ad illius normam non instituerint. Verūm ob hanc rationem non aliter de predictis esse iudicandum, quām iam dictū est, sequētia Deo iuuante docebunt: Non enim quidem diffitemur, nonnullos ex Ecclesiasticis, & monasticem professis religiosius conuersatos, suique ordinis institutum sanctius excoluisse.

Quin etiam ingenuè fatemur, illorū  
meritis haētenus factum à Deo nobis  
gratiam, vt meritò dicere possumus  
cum Isaia : Nisi Dominus Sabaoth  
nobis reliquisset semen, sicut Sodo-  
ma & Gomorrha fuissimus. Cæterum  
quoniam (vt ait Apostolus) multi v-  
num corpus sumus in Christo, singuli  
autem alter alterius membra : Sicut  
non est dicendum, corpus illud esse sa-  
num, nullaque egere medicina, quod  
vnum vel duo, vel tria sana habet mē-  
bra, sed quod ex omni parte sui est sa-  
num : Sic nec sanum fuisse Belgum  
est asserendum, aut propterea negan-  
dū egiisse asperiore medicina, quod  
nonnulli visi sint reformatiores, me-  
liusque suis functi muneribus, quàm  
olim: cum multò plures perdite om-  
nem respuentes dieram haētenus æ-  
grotarint, nullisque pharmacis leuio-  
ribus sanari potuerint. Vnde etiam fa-  
ctum sentimus, vt quemadmodum  
dolente aliquo corporis membro, cœ-  
tera compatiuntur & condolent : ita  
Belgæ omnes (etiam quibus cordi fuit  
religiosior conuersatio & Ecclesiasti-

ca disciplina) tanquam cum illis membra vnuſ & eu dem corporis compa-  
terentur, Deo peccata aliorum mem-  
brorum vindicante, eaque curante  
pharmaco præsentium calamitatum,  
delicatis ac voluptuosis nimis ama-  
ro. Legimus Deum toti Israel iratum  
fuisse, atque etiam puniſſe non pau-  
cos propter vnius Achai peccatum,  
qui de anathemate Iericho sibi que-  
dam usurpauerat. Et peccante Daui-  
de: Nónne ceciderunt ex Israēl 70 mil-  
lia virorum? Quid mirum, si ob innu-  
meram multitudinem, peccatorum-  
que horrendam enormitatem, pau-  
ciores (solet dici, vnuſ vir, nullus vir)  
pietati addicti, ac Christianæ discipli-  
næ tenaces, simul calamitatib⁹ inuol-  
uantur, & grauiora quæque patiātur.  
Maxime cum horum nullus fuerit  
absque peccato, quique non meruerit  
saltem temporaliter affligi. Deinde  
cum agitur de repropitiando Deo, ho-  
minum peccatis irato, & vindictam a-  
licui prouinciaz intentante, omnium  
debet esse poenitentia, satisfactio ac  
renouatio, ut docet poenitentia Nini-  
Iosuæ 7. 1. Paral. 2.

R s ui-

uitarum, à qua, ne ipsa quidem anima  
lia fuerunt exempta. Etenim imminē-  
te hostili exercitu, si quibusdam ar-  
ma sumentibus maior pars otio sese  
ac ebrietati dederit, nunquid omnes  
indifferēter cedentur ac profligabun-  
tur? Ad hæc plena esse debet cuiusque  
emendatio atque perfecta. Non enim  
sat est ab vno, duobus, tribusue absti-  
nuisse consuetis peccatis, sed ab uni-  
uersis, quibus Deus offensus est, absti-  
<sup>2. Corin. 5:</sup> nere oportet. Si qua (inquit Aplūs) no-  
<sup>1. Corin. 9:</sup> ua creatura, vetera transierūt, eccce fa-  
cta sunt omnia noua. Et alibi: Omnis  
qui in agone contendit, ab omnibus  
se abstinet. Et Christus: Sic nos adim-  
plere decet omnem Iustitiam. Atqui  
cum rarissimi fuerint, qui à sua con-  
suetudine(nihil enim(inquit D. Chry-  
sostomus) est tam firmū in rebus hu-  
manis, quàm veteris consuetudinis  
Tyrannus ) multò firmata tempore  
plenè descuerint, tantoque ardore  
amplexati sint studium nouæ vita, ut  
nihil vetustatis in eis remāserit, qui af-  
fectione non inhæserint praua, vel di-  
uinijs, vel mundanis illecebris, vel be-  
neficijs

ncificijs ac dignitatibus, qui suas adin-  
uentiones non sint in multis sectati,  
qui modestiam vel temperantiam de-  
bitam in conuiuando, in vestibus, scr-  
mone, supellectili seruauerint, qui li-  
bertate consueta, pro suis placitis non  
aliquando sint vsi, vel qui pietatis of-  
ficijs, orationibus, vel frequentibus sa-  
crificijs, prædicationi, eleemosynis, &  
consolationi miserorum debitè intē-  
derint, quiq; alia in Synodo sancita &  
sacris scripturis præcepta non sæpè o-  
miserint. Cum inquam rarissimi tales  
fuerint iustissimū esse nemo ambige-  
re debet, vt omnes calamitatū p̄sentī-  
um fierent participes, vt luerent om-  
nes, quæ vel à publicatione concilij  
contra ipsius decreta, vel ante dictā  
synodum fuerant commissa. Deus e-  
nīm patiens est retributor. Differt nā-  
que Deus, nonnunquam de quibus-  
dam vindictam sumere, vt simul cum  
perseuerantibus in peccatis, commu-  
ni vindictę eos inuoluat. Considera-  
tis ijs etiam attendere expedit, quid  
Christus de illis dicat, qui speciem  
ha-

250 CAVSÆ CALAMITAT.  
habētes pietatis exteriorem , interim  
vacant , nec ad perfectiora feruntur.  
Cum (inquit) immundus spiritus exi-  
erit ab homine, ambulat per loca ari-  
da quærens requiem , & non inuenit.  
Tunc dicit : Reuertar in domum me-  
am vnde exiui, & veniēs inuenit cā va-  
cantem , scopis mundatam & orna-  
tam. Tunc vadit & assumit septem a-  
lios spiritus secum, nequiores se, & in-  
trant ibi : & fiunt nouissima hominis  
illius peiora prioribus. An non səpius  
fit, quod deterius à dəmone possidean-  
tur , qui speciem pietatis habent, vir-  
tutem autem eius abnegant? qui ali-  
quibus obtemperat præceptis, alia ve-  
rō pro libidine præuaricantur , qui  
claudicant vtroque pede? Prorsus nō  
tam attendit Deus speciem religio-  
nis, quām ipsas animi affectiones, quā-  
si vero essent pietatis zelo succense, v-  
tique ad perfectiora semper contenden-  
derent, & suæ salutis studiosi , totis vi-  
ribus sui ipsorum emendationi nun-  
quam non incumberent , omnia si-  
mul & singula: ambabus quod aiunt  
vñ his amplexantes proposita in Sacro-  
san-

sancta Synodo infirmitati suæ reme-  
dia. Nam (teste B. Apostolo.) Non qui  
in manifesto Iudæus, neque quæ mani-  
festò in carne est circumcisio, sed qui  
in abscondito Iudæus est, & circunci-  
sio cordis in spiritu, non litteræ, cuius  
laus non ex hominibus, sed ex Deo  
est. Beatus igitur qui non iudicat seip-  
sum in eo quod probat. His satis su-  
perque probatum puto, iustissimum  
esse Dei iudicium, tantis calamitatib⁹  
Belgas punientis, etiam si quibusdam  
in locis visi sint clerici cum monachis  
plurimi s̄q; alijs Christi fidelibus con-  
uersari religiosius, atq; ad synodi sta-  
tuta vicinius accedere.

*Arguuntur, qui cōtrarij per-  
sistunt Conciliij uniuersa-  
lis definitionibus.*

*Cap. XXII.*

  
OS porrò qui tantæ nolūt  
adhuc cedere authoritati,  
nec totius Ecclesiæ defini-  
tioni in concilio proposi-  
ta ob-

tx obtemperare, clarissimum est, vel propendere ad hæresim, vel ad schisma: Aut quod his ferè æquipollit, esse durissimæ ceruicis, ac salutis desperatissimæ. Aut enim obtemperare Concilio recusant, quod errasse in suis definitionibus iudicent, quod hæreticum est. Aut quod credentes vera & sancta continere, nihilominus concilium respuant, suas eligentes sectari concupiscentias, quibus contraria præscribunt Synodi decreta, quod schismatis speciē habere videtur. Desperatae verò salutis eos esse constat, qui consilia sana, omniaque pharma-  
ca ægri respuunt & abominantur. Rursum qui per calamitates, quibus exagitamur, suam non agnoscunt ægritudinem, iuste phreneticis compari possè mihi videantur, vt pote qui cum periculosisissimè ægrotent, se tamen ægrotare diffitentur, quin nec patiuntur sibi ullam adhiberi curationem. Quapropter seuerè tales increpat Dominus, dicens: Despexitis omne consilium, & increpationes meas neglexistis: Ego quoq; in interitu ve-  
stro

stro ridebo vos, & subsannabo, cū vo  
bis id, quod timebatis aduenerit. Cū  
irruerit repentina calamitas & interi-  
tus, quasi tēpestas ingrueret, quādo ve  
nerit super vos tribulatio & angustia:  
Manē cōlurgent nec inueniēt me, eō  
quod exosam habuerint disciplinam  
meā & timorē, nec acquieuerint con  
filio meo, & detraxerint correptioni  
meæ. Comedēt fructus vitæ suæ, suisq;  
Cōfilijs saturabūtur. Melius certè illis  
rat viam non cognouisse iustitiæ, quā  
post agnitionem retrorsum conuerti,  
ab eo quod illis traditum est sancto  
mandato. Cōsultius, inq, fuisset, si lux  
eis non illuxisset, si iustitiæ & veritatis  
tramites non essent in Concilio ijs ob  
oculos positi, & varia devia, quib⁹ er  
rabāt demōstrata, q̄ contēpta luce &  
repudiata iustitiæ via, ptinacius in cœ  
citate ac erroribus pseuerare. Vtpote  
q̄ Deū aduersus se talis ingratitudinis  
merito grauius irritauerint, & nimis  
noxia proximis inobedientiæ & in  
temperantiæ propinauerint exempla,  
Vt omittam religionem Catholi  
cam per huiusmodi dissolutos, atque  
in.

1.Pet. 2.

## 254 CAVSÆ CALAMITAT.

indisciplinatos, iocum & fabulam scri-  
 ri hæreticis, Iudæis & Gentilibus, vt  
**Rom. 2.** Apostolus apertissimè insinuat. Qui  
 in lege ait, gloriaris, per præuaricatio-  
 nem legis Deum in honoras. Nomen  
 enim Dei blasphematur per vos inter  
 gentes. Voluntariè igitur peccantib⁹  
**Heb. 10.** nobis, post acceptam notitiam veri-  
 tatis, iam non relinquitur pro pecca-  
 tis hostia: Terribilis autem quædam  
 expectatio iudicij & ignis æmulatio,  
 quæ consumptura est aduersarios. Ne-  
 minem proinde iustificabit, obserua-  
 tio vnius atq; alterius mandati, si pru-  
 dēs plura vel etiam vnum ( qui enim  
**Jacob. 2.** offendit in vno, factus est omnium re-  
 us ) ad saltitem necessarium præceptū  
 neglexerit. Neminem deinde à iusta  
 Dei ira, liberabit professio quantum-  
 uis sancta, si mētis sanctificationi nul-  
 lum vel etiam imperfectum & perfun-  
**Hierem. 24.** ditorum adhibuerit studium. Væ illi  
**Matth. 22.** qui facit opus Dei negligenter. Quid  
 quæso illi profuit homini, quod ad  
 nuptias filij Dei conuiua esset admis-  
 sus, qui quod vestem non induisset nu-  
 ptiale, Deo iubente ligatis manibus

ac

ac pedibus in exteriōres proiectus est  
tenebras? Mundemus proinde nos ab Ephes. 7.  
omni inquinamento carnis ac spiri-  
tus, perficientes sanctificationem in  
timore Dei.

*Cur hæretici Ecclesiasticos  
grauius persequantur,  
Cap. XXIII.*

**C**AETERUM quæri posset, cur hære-  
tici, & qui Christi Ecclesiam per-  
sequuntur, primò & maximè Ecclesia-  
sticos viros oppugnant ac persequan-  
tur! Nónne idcirco faciunt, quod Ec-  
clesiasticis permanentibus in functio-  
ne ordinis sui & munera tibi iniun-  
ctorum, nihil hæretici vel Gentiles ef-  
ficere possint? Non dispergere, non  
deglubere, non mactare? Imò nec per-  
sistere in eo quod cœperunt nocendi  
studio, Ecclesiasticis, vel ad meliora e-  
os renocantibus, vel ab ouili domini-  
co repellentibus? Sicut igitur Samson  
volens domum, in qua Principes Phi-  
listinorum cum plurima multitudi- Iudic. 16.

S        ne

156 CAVSÆ CALAMITAT.  
ne vtriusque sexus, sibi inimica dirue-  
re, id efficere est aggressus, columnna-  
rum, quibus tota nitebatur domus  
collisione, atque deiectione. Ita hære-  
tici Ecclesiam oppugnantes, omni co-  
natu malignitatis columbas deiijcere  
tentant: Ecclesiasticos dico, quorum  
officijs ac meritis cæteri fideles in fide  
ac pietate retinentur ac fouentur. Ni-  
mirum ut illis dejectis atq; prostratis,  
cæteri nullo negotio subiugētur. Qua  
etiam intentione legimus Regem Sy-  
riæ præcepisse Principibus suis ( quo  
vafrum hæreticorum præfigurabatur  
studium, Ecclesiam Dei persequentiu-  
m ) vt non pugnarent contra maio-  
rem vel minorem, sed solum contra  
Regem Israël. Sciebant quippe oves  
dispergendas pastore percusso. Quod  
etiam lupi rapaces ouilis dominici se  
non ignorare, rabie qua possunt in  
Belgio ostendunt. Et vt prophana,  
nec non impia hæreticorum studia,  
similibus Gentilium studijs confera-  
mus, dicimus eos sectari Philippum  
Regem Macedonum, qui cum roga-  
retur, vt pacem iniret cum Athenien-  
si

3. Reg. 22.

sibus, assensit, Si modo ei traderentur  
duces militiae & Oratores Athenien-  
sium. Quod vafrum eius consilium  
levida fabula, Demosthenes populo  
aperuit, nempe luporum pacem cum  
agnis inire volentium, ea conditio-  
ne, ut agni suos pastores & canes pri-  
us traderent, vel à se abigerent, tan-  
quam belli incentores, atque autho-  
res: Sic planè hæretici Ecclesiasticos  
principia Ecclesiæ membra acris per-  
sequuntur, ut illis in exilium abactis,  
vel extinctis, cæteris facilius præuale-  
ant, eosque suppeditent: imitantes  
impiissimam Iesabelem, quæ Domini  
Prophetas grauissimè affligebat, &  
persequebatur, sicut & impij qui que  
Reges fecisse leguntur. Isaías enim  
à Manasse Rege ob veritatis studium,  
nónne sectus legitur? Et Hieremias  
cum suo scriba Baruch, à falsis Pro-  
phetis & Principibus Israël varia pa-  
sus? Iohannes Baptista ab Herode  
capite truncatus? Innumera adhæc  
possent adferri exempla persequutio-  
num grauissimarum, quibus fulgente

Regum 13.

Christi Euangelio Sacerdotes ac Dei  
ministri , crudelissimè oppugnati  
sunt. At nos vnicō tantum in mediū  
allato, contenti erimus. Legimus Hu-  
nericum Regem, Episcopos sanctissi-  
mos, Sacerdotes, Diaconos, omnesq;  
Ecclesiæ ministros exilio damnasse du-  
rissimo, eo nimirum animo ac consi-  
lio, ut omnes in eo interirent. Quibus  
cateruatim proficiscentibus , scribit  
vicator Vti-  
cens lib. de  
persequiu-  
tione Van-  
dalorum.  
Victor Uticensis , turbas eis occurrisse,  
ex diversis ciuitatibus & pagis, cereos  
in manibus tenentes, & ad illorum ve-  
stigia suos paruulos applicantes, ac di-  
centes : Quibus nos relinquitis , dum  
pergitis ad coronas? Qui hos baptiza-  
turi sunt paruulos fontibus aquæ per-  
ennis? Qui nobis poenitentiæ munus  
collaturi, & reconciliationis indulgë-  
tia obstric̄tos peccatorum vinculis so-  
luturi? Qui nos solemnibus orationi-  
bus sepulti sunt morientes? A qui-  
bus diurni sacrificij ritus exhibendus  
est consuetus? Et sic quidem lugebant  
se à suis relinqui pastoribus , in ijsque  
amissis , diuina munera perdere deplo-  
abant. Hoc autem agebat immanis  
ille

ille hostis Christianorum (vti etiam  
hodie Belgici inuasores) vt non modo  
non essent, qui veritatis lumen osten-  
derent verbo & exemplo, sed nec qui  
sacrificium pro populo offerrent, nec  
qui recōciliationis sacramentum ad-  
ministrarent, & qui morituris succur-  
rerent. Sic etiam Julianus Apostata,  
sic Diocletianus, sic denique omnes,  
qui velut feroceſ apri, vineam Domi-  
ni deuastare annixi sunt. Porro cum  
hæretici primò Ecclesiasticos oppug-  
nent, ac persequutionis pondus ma-  
ximum in eos recidat, nihil non sanè  
facere eos decet, vt ex omni parte fa-  
nentur, & vndique armatura Christi  
muniāntur, virtutibusque omnibus  
exornentur. Ne si negligant, securi ad  
radicem posita exscindantur: Nam o-  
mnis arbor, quæ non facit fructum bo-  
num, excidetur, & in ignem mittetur,

Matth. 3.

*Definali calamitatum Bel-  
gicarum causa. Cap.*

XXIIII.

**P**ostquam autem sufficien-  
ter declarauiimus Belgica-  
rum calamitatum causas  
superius enarratas; iam tā-  
dem postremo loco dicen-  
dum venit de causa finali, atque osten-  
dendum est, qua intentione Deus tā-  
tis nos subiecerit ærumnis, quidue  
cōmodi ex illis Belgæ percipere pos-  
sint. Principio sicut medici ægrotum  
curaturi, satagunt vti prius à peccāte  
materia purgetur. Sic Deus animarū  
cupiens languoribus mederi, primū  
homines à malitia, quæ animę pestem  
ad fert, purgare studet, afflictionibus  
nimirum ac miserijs pharmacis con-  
trarijs ipsorum ægritudinibus. Exem-  
pli causa: Qui nimia diuitiarum cupi-  
ditate Deum quondam offendebant,  
eos hodie curat maxima paupertate,  
omnimodaq; rerū omnium inopia,  
quo vel sic discant se cōfidisse in incer-  
to diuitiarum. Qui sui amore impulsi  
nonnisi superba mundique gloriam  
spirabant, ipsos humiliatione ac ab-  
iectione extrema curare nititur, vt  
vel

vel sic mundum sectando, & quæ mūdi sunt, meram spectasse vanitatem doceantur. Qui vero delicijs carnis-que voluptatibus immersi erāt, summis miserijs ac etiam vrgentissima necessariorum indigentia sanat: Quomodo filium prodigum DE VS ad mentem sanam reduxisse legitur. Immisit igitur Deus afflictiones atque ærumnas præsentes, tum ut per illas auferretur materia, seu causa qua secundum animam Belgæ languebant. Tum ut affectiones eorum prauæ circa temporalia corrigerentur, correctæ verò ad Deum creatorem suum, (cui seruire regnare est) dirigerentur. Tum etiam ut afflictiones piè tolerando, pro suis peccatis satisfacerent. Iuxta sententiam Concilij Tridentini docentis, tantam esse munificentiæ DEI liberalitatem, ut non solum pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis : sed etiam (quod maximum amoris est argumentum)

Cap. 9. sect.  
14.

## 262 CAVSÆ CALAMITAT.

temporalibus flagellis à Deo inflictis,  
& à nobis patienter toleratis, apud  
Deum Patrem per Christum Iesum  
satisfacere valeamus. Quibus conser-

1. Corin. ii. tit Apostolus, dicens: Dum iudicamur

Heb. 12. à Domino corripimur, ut non cum  
hoc mundo damnemur. Et alibi: Fla-

gellat omnem filium quem recipit. In  
disciplina perseverate, tanquam filijs  
se offert Deus. Et Sapiens: In igne pro-  
batur argentum, homines vero rece-  
ptibiles in camino humiliationis. O-

Ioan. 15. ' mnem ergo palmitem, qui in Christo  
fert fructum, purgat Deus Pater, ut  
fructum plus afferat. Accedit quod ca-  
lamitatibus Deo miserâte Belgæ per-  
cutiantur, ut cautiiores, vigilantiores  
que reddantur aduersus mala futura,  
caucantque studiosius præcipitia, in  
qua prius corruerat. Vnde Moyses:

Deut. 8. Dominus Deus tuus erudit te, sicut  
homo erudit filium suum. Quenad-  
modum ergo pater filium à peccato,  
non tantum expurgare virga, sed &  
cautiorem reddere aduersus mundi  
illecebras nititur: Ita planè Deus no-  
biscum præsentibus agit afflictio-  
ni-

nibus. Vexatio enim dat intellectum.

Qui non est (inquit Sapiens) tentatus,  
quid scit? Vir in multis expertus cogi-  
tabit multa, & qui multa didicit, enar-  
abit intellectum. Atqui scientia,  
quam quis magnis didicit incommo-  
dis, memoriæ tenacius inhæret, eique  
præsens semper occurrit. Quo sit, ut  
tribulationibus eruditior factus, ma-  
ius in Dei voluntate perficienda, & ac-  
quirendis virtutibus adhibeat studiū,  
cuius neglectu, quas patitur accidisse  
calamitates cognoscit. Propemodum  
præterieram, tentationes atque angu-  
stias nonnunquam infligi, ut quantū  
in virtutis via quis proficeret, ipsi in-  
notescat, atque inde apud homines il-  
lustrior reddatur. Quod insinuat De-  
us Abrahamo in proprij filij immola-  
tione occupato, dicens: Nunc cognoscet  
ui quod timeas Deum. Quid est, nunc  
cognoui, &c. Ni si hac tentatione tibi  
cognitum feci, quod feci, quod verè  
me timeas. Id quod etiam omnibus  
posterioris nationibus per hanc tuam ob-  
edientiam erit notissimum. Siquidem  
Deo, cuius oculis omnia nuda & aper-

Genes. 22.

ta sunt , quisque ante temptationem  
 est cognitus . Tribulationibus de-  
 inde seu temptationibus Belgas DEVS  
 exagitari permittit , vt patientiores  
 ac fortiores reddantur , contra quæ-  
 que aduersa , & in prosperis constan-  
 tiōes . Hunc verò angustiarum fru-  
 etum vas electionis apertissimè do-  
 cet , dicens : Gloriamur in tribula-  
 tionibus , scientes , quod tribulatio  
 patientiam operatur , patientia au-  
 tem probationem , probatio autem  
 Rom. 5. spem , spes autem non confundit . Et  
 Corinth. 2. alibi : Virtus in infirmitate perfici-  
 tur . Lubenter igitur gloriabor in  
 infirmitatibus meis , vt inhabitet in  
 me virtus Christi . Propter quod pla-  
 ceo mihi in infirmitatibus meis , in  
 contumelijs , in necessitatibus , in per-  
 sequutionibus , in angustijs pro Chri-  
 sto . Quum infirmor , tunc potēs sum .  
 Atqui non tantum patientia , fortitu-  
 dine , constantia , ceterisq; virtutibus  
 afflictiones patienter toleratæ ditant  
 atque exornant , verum etiam similes  
 Christo (ipso attestate) efficiunt . Non  
 est

est (inquit) seruus maior Domino <sup>Ioan.15.</sup>

suo: si me persequuti sunt, & vos per-  
sequentur: Et si odit vos mundus,

scitote, quia me priorem vobis odio  
habuit. Et alibi: Qui vult post me ve-

nire, abneget semetipsum, & tollat  
crucem suam, & sequatur me. Hæc est

(inquit Diuus Petrus) gratia, si propter <sup>1. Pet. 3.</sup>

Dei conscientiam sustinet quis tristi-  
tias patiens iniustè.

Quæ enim gra-  
tia, si peccantes & collaphizati suffer-  
tis? Sed si benè facientes patienter su-  
stinetis:

hæc est gratia apud Deum.

In hoc enim vocati estis, quia & Chri-  
stus passus est pro nobis, vobis re-  
linquens exemplum, ut sequamini  
vestigia eius.

Postremò permisit D E V S Belgas premi calamitatibus,  
vt qui eas deuotè tolerauerint,

via ipsis sternereretur securior ad re-  
gnum cœlorum. Oportet enim (te-  
ste scriptura) per multas tribulatio-

nes nos intrare in regnum D E I.

Feramus ergo animo forti aduersa  
quæque, scientes quod in præsen-  
ti est momentaneum & leue tribu-

<sup>Acto. 14.</sup>

<sup>2. Corin. 4.</sup>

Matth. 5.  
 lationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim non videntur temporalia sunt, quæ autem videntur æterna: Beati igitur qui patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quod sane tanti fecit Apostolus, ut diceret: Aestimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

*Consolatio iustorum, qui Belgicis puniuntur calamitatibus. Cap.*

XXV.

 Actenus de causis afflictionū Belgicarum, ipsisque afflictionibus. Nunc consolandi veniunt qui pusillanimes sunt, feruntque minus patienter tribulationes, quibus exagitantur: Quod nimirum sibi videcan-

decentur eas non meruisse, & religio-  
sè pro viribus peregrisse huius morta-  
lis vitæ curriculum, nemini facientes,  
quod sibi factum nollent. Incidentes  
etiam in omnibus mandatis & iustifi-  
cationibus Domini sine querela. Age-  
dum ijs quæ dicta sunt in declaracione  
causæ finalis, nonnulla alia ad illorum  
consolationem addamus. Sicut ergo  
nouum non est, impios bonis permi-  
xtos esse, ita nec nouū dici debet, qđ  
iusti ab iniustis affligantur. Sicut enim  
bonorum est proprium se alijs com-  
municare, atque satagere, vt sibi dissimiles  
assimilentur, vitam scilicet e-  
mendando, & corrigendo: Ita & im-  
piorum est, vt quos deprauare nulla-  
tenus possunt persequantur, atq; per-  
dere studeant. Id attestante scriptura:  
Opera (inquit) impiorum inutilia, &  
opus iniquitatis in manibus eorum:  
pedes eorum ad malum currunt & fe-  
stinant, vt effundant sanguinem inno-  
centem. Vastitas & contritio in vijs  
eorum. Istud autem familiare semper Gen. 4,  
fuisse impijs, etiā à mundi initio, innu-  
mera docent exempla: Abel Christi  
te-

- Matth. 23. testimonio iustus , nónne ab impio  
 fratre suo Cain est occisus ? Huius ra-  
 tionem reddit D.Ioannes : Quoniam  
 ille ex maligno erat , & eius opera ma-  
 ligna , fratris vero iusta . Et Noë nun-  
 quid à proprio filio irrisiōnē passus  
 est ? An non etiam Abraham cum in-  
 genti timore , suæ vxoris raptum ab  
 Genes. 21. Abimelech sustinuit ? Isaac verò per-  
 sequutionem ab Ismaële pertulisse , te-  
 stis est Apostolus : Sicut (inquit) qui se-  
 cundum carnem natus persequebat-  
 tur cum qui secundum spiritum : Ita  
 Genes. 27. & nunc : Et Iacob timore fratris sui  
 Genes. 37. Esau , exulare est coactus . Ioseph au-  
 tem , eò quod fratres de scelere pessi-  
 mo apud patrem accusasset , & quod à  
 patre plus cunctis fratribus amaretur ,  
 mittitur in cisternam , & inde vendi-  
 1. Reg. c. tur Ismaëlitis . Dauid qui secundum  
 19. 21. 22. Dei cor fuit , quantam à Saule tulit  
 23. 24. persequutionem ? Quoties in an-  
 gastijs & mortis periculis fuit con-  
 Jerem. 20. stitutus ? Nónne & Helias Iezabelem  
 Daniel. 14. persequentem fugit ? Ieremias in ner-  
 Daniel. 3. uum missus est à Phassur , vt & Daniel  
 in lacum Leonum ? Et tres pueri Ana-  
 nias

nias, Azarias, Mizaël in caminum ignis ardantis? Similia exempla nonne licuit ex Job & Tobia petere? Iudas vero Machabæus cum fratribus, & qui illos adhaeserant, quot oro incursions hostium? Quot clades? quot deprædationes ferre coacti sunt? Deniq; quot fuere sancti in veterilege, omnes varia esse passi leguntur. Huiustestis est D. Stephanus. Quem (inquit) Aetor. 7. Prophetarum non sunt persequuti patres vestri, & occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu Christi. Et Isaias: Qui recessit à malo, prædæ patuit. Isai. 59. De persequutionibus quæ contigerunt tempore noui testamēti, quid attinet dicere? Cū à Christo nato usq; ad nostra sæcula heretici multò crudelissimè Ecclesiā diuexarint, aliquando aperto Marte, aliquando clancularijs oppressionibus iustorum, præciporum Ecclesiæ membrorum. Eius vētō caput & antesignanus Christus, quām crudelia, quām ignominiosa à Iudæis pertulit, vt omnibus patientiæ præberet exemplum, & viam, quam nos omnes ingredi est necesse sterneret.

hanc

Macha. lib  
1. & 2.

## 170 CAVSÆ CALAMITAT.

Acto. 5.

hanc pressim sequentes Apostoli, ibat  
coesi à conspectu consilij, gaudentes  
quoniam digni habiti fuerant pro no-  
mine Iesu contumeliam pati. Quini-  
mò oēs dempto Ioāne similiter crude-  
li ab infidelibus sunt perempti morte,  
postquam innumeris afflictionibus

Ioan. 16.

toto Apostolatus sui tempore ad vnu  
omnes examinati fuissent. Iuxta illud  
Christi verbum: In mundo pressuram  
habebitis, sed confidite, ego vici mun-  
dum. Illos mox sunt sequutæ innume-  
ræ martyrum miriades, qui in primiti-  
ua Ecclesia mortem profide ac Chri-  
sti iustitia, lubentes oppetiere, aliasq;

Heb. 11.

afflictiones pertulere grauissimas, de  
quibus Apostolus: Alij ludibria & ver-  
bora experti, insuper & vincula & car-  
ceres: lapidati sunt, secti sunt, in occi-  
sione gladij mortui sunt, circuierunt  
in melotis, in pellibus caprinis, egen-  
tes, angustiati, quibus dignus nō erat  
mundus in sollicitudinibus errantes,  
in montibus, & in speluncis, & in ca-  
uernis terræ. Hinc idem vas electionis  
postquam persequutionum, quas va-  
rijs p̄tulerat locis, Timotheo memo-  
riam

riam refricasset, hanc generalem pro-  
tulit sententiam: Omnes qui piè vo-  
lunt vivere in Christo Iesu persequu-  
tionem patientur. Quis ora referat,  
quām horrēda intulerint mortis sup-  
plicia seu tormenta sanctis fidelibus,  
Nero, Domitianus, Traianus, Mar-  
cus Aurelius, Seuerus, Maximinus, De-  
cius, Valerianus, & Aurelianus, Dio-  
cletianus, Iulianus Apostata, & alij,  
qui Ecclesiam expansis vexillis oppu-  
gnarunt? Quātas Christianorum stra-  
ges fecerint Persæ? Quāta crudelita-  
te in eos debacchatæ sint Barbaræ na-  
tiones, Vandalorum, Gothorum, Hū-  
norum, Longobardorum, Norman-  
norum? De quibus sic D. Hierony-  
mus: Horret animus temporum no-  
strorum ruinas persequi. Viginti & eo  
amplius anni sunt, quod inter Con-  
stantinopolim & Alpes Iuliae, quoti-  
die Romanus sanguis effunditur. Scy-  
tiam, Thraciam, Macedoniam, Darda-  
niam, Daciam, Thessalonicam, Acha-  
iam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque  
Pannonias, Gotthus, Sarmata, Qua-  
dus, Alanus, Hunni, Dandali, Marco-

D. Hieron.  
ep. 3. ad He-  
liod.

T man-

manni, vastant, trahunt, rapiūt. Quot  
matronæ, quot virgines Dei, & inge-  
nua nobiliaq; corpora, his beluis fue-  
re ludibrio? Capti Episcopi, imperfecti  
Presbyteri, subuersæ Ecclesiæ, ad alta-  
ria stabulati equi, martyrum effossæ  
reliquiæ, & cetera. Quid dicam de  
hæreticis, qui ipsis Gentilibus & Bar-  
baris maiori propemodum tyranni-  
de Ecclesiam Catholicam dilania-  
runt? Discurrere per singulas hæreses,  
atque ostendere, quantis furijs vna-  
quæque pios oppugnauerit, immensū  
esset laboris. Cui supersedendum cen-  
semus, partim quos ex huius operis  
discursu & hæreticorum præsentis  
temporis crudelitate, reliquorum fe-  
rox ingenium vnicuique satis inno-  
tescere debeat, vt pote cum omnes co-  
dem furore mentis agantur. Partim  
quod Magister noster Iohannes Len-  
sæus & Petrus Boistieu, alias Launay,  
in libris quos ediderunt de varijs per-  
sequutionibus, quas pij in hoc mun-  
do peregrinantes patiuntur, satis fusè  
de hac materia tractent, & hic qui-  
dem

\*em Gallicè, ille verò Latinè. Partim quod historiographi Ecclesiastici penè omnes similia plurima contineant. Quos qui consulere voluerit, videbit cuiusq; sectæ hæreticos semper animo maximè hostili esse persequitos eos, qui Catholica doctrinam & pietatem sectabantur. Nos igitur lacunismo studentes, vterius istis probandis immorari nequaquam est conueniens. Id autem vnum asserere audiemos, Catholicos à fidei constantia, ob innumeras grauissimasque persequitiones, quas infideles ac hæretici fidelibus intulerunt, hanc quam defecisse, nec etiam numero pauciores esse factos, sed è diuerso maiori animi alacritate extrema quæque perpessos. Cuius fidelis testis est Tertullianus. Plures ( inquit ) efficiuntur, in Apolog. quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum. Et Diuus In epist. ad Hieronymus. Perseverationibus Ecclæsia crevit, martyrijs coronata est. Quod præfiguratum esse in populo Israëlitico videtur, qui quanto

## 274 CAVSÆ CALAMITAT.

Psal. 45.

durius ab AEgyptijs sub Pharaone  
premebatur , tanto amplius multi-  
plicabatur. Fluminis impetus letificat  
ciuitatem Dei. Cum verò proprium  
sit impiorū, quod pios & bonos per-  
sequantur, crucient, extinctos cupiāt:  
Cum ab initio mundi & maximè in  
primitiua Christi Ecclesia improbi  
probos, iniusti iustos, hæretici & bar-  
bari fideles sint grauissimè persequi-  
ti, vt edocent superius allata exempla.  
Cum Deus afflictis iustis semper sit p-  
ximus, adeoq; adiutor (vt ait Propheta)  
in oportunitatibus & in tribulati-  
one , eosque non modo consoletur,  
sed etiam crescere faciat meritis ac vir-  
tutibus: Vtique decet Belgas etiam si  
religiosius curriculum huius mortalis  
vitæ sibi peregisse videantur, fortissi-  
mo ferre animo , suarum facultatum  
rapinas, confiscationes, exilia, omni-  
um rerum inopiam, & amicorum ab-  
iectissimum contemptum , & perse-  
quutionem, & quæque extrema: Illud  
Job cantantes in cordibus suis : Si bo-  
na suscepimus de manu Dei, quare m̄a  
la non sustineamus? Dominus dedit,

Do-

Job. 2.

Dominus abstulit: Sicut Dominus placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum. Quinimò eos cum Apostolo gloriari in tribulationibus oportet, excedentes earum fructus atque utilitates, de quibus superius. Maximè quod inter ipsas afflictiones ac persecutions Deo sint gratissimi & longè charissimi, ut pote qui ab eo tractentur, quomodo excipere solet suos electos ac tenerrimè dilectos. Exemplo sunt, quos superius ostendimus varijs modis fuisse afflictos. Pretiosa planè in conspectu Domini mors sanctorum eius. Nunquid ægrum reprobat medicus illi propinans iuxta ægritudinis exigentiam potiones amaras? Et pater filium propter delicta castigans odione illum prosequitur? Imò verò odisset, si non castigaret: si illi pro animi voluptate laxaret habenas: si illum sibi ipsi abiecta eius cura relinqueret. Hinc admonet Apostolus, Fili noli Heb.ii. negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: Quem enim diligit Dominus castiga. tDeus Pater tradendo in mortem pro nostra

omniumque redēptione, vulnerando propter iniquitates nostras, atterēdo propter scelera nostra filium suum vnigenitum, an non eum dilexit? Imò verò ob idipsum fuisse dilectissimum ipse testat' est, dū baptizaretur Christus: Dum se coram discipulis transfiguraret, & paulò ante passionem, & aliàs per opera ipsius frequen-tissimè. De electis autem, quod etiam dilectissimi sint cum affliguntur ab impijs, ipse apud Zachariā profitetur, dicens: Qui tetigerit vos, tangit pupil-lam oculi mei. Et Psalmographus. Fa-ciens misericordias Dominus & iudi-cium omnibus iniuriam patientibus. Quapropter sic omnes Catholicos exhortatur Diuus Petrus: Charissimi nolite peregrinari in feroce, qui ad tentationem vobis fit, quasi vobis noui aliquid contingat, sed communi-cantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis, exultantes. Si exprobramini in nomi-ne Christi beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est spiritus eius super vos requie-scit.

Matth. 3.

Matth. 17.

Ioan. 12.

Zach. 2.

Psal. 102.

1. Pet. 4.

scit. Cæterum ne quis miretur, cur iusti qui à Deo probantur, dilecti, penè semper ab impijs persequitionē sint passi. Huius causam aperuisse non incōgruum fuerit, vt nēpe intelligatur, quām impij sint psequutores, simulq; declaretur, iustos nequaq; meruisse apud impios, vt affligeretur, ab eisq; tribularentur. Nōnne cius causam aperit Christus, ostendens quamobrem ipsi Apostoli odio essent futuri mundanis hominibus, atque ab ipsis tolerari persequitiones. Si (inquit) de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligenteret: Quiavero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Non est seruus maior Domino suo, si me persequuti sunt, & vos persequentur. Quibus duplē odij & persequutionis fidelium causam insinuat, & quod nihil commune cum mundo habeant, & quod Christo adhærent, illique seruant. Igitur tum quod CHRISTVM sequātur, cui omnes aduersantur impij

Ioan.15.

T 4 (mi.)

## 278 CAVSÆ CALAMITAT.

(milites sub contrarijs ducibus merentes se mutuò infestissimè prosequuntur: Et qui odit Dominum, odio prosequitur & seruos) Tum etiam quod inter eos maxima sit morum dissimilitudo, quæ parit in impijs contrarietatem & abominationem iustorum, scilicet, quod horum conuersatione, doctrina, exemplis arguantur, corripiantur, damnentur. Nam (ut est apud Sapientem) Non amat pestilēs eū qui se corripit. Et apud Ioannem, Nō potest mundus odisse vos: ppter me, quia testimonium perhibeo de illo, quod mala sint eius opera. Enim uero si distinctius odij istius causas nosse libet, expendantur, quænam in iustis & maximè Dei filio oderunt impij. Circumueniamus (inquiūt) iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei senuminat. Factus est nobis in traductionē cogitationum nostrarum, grauis est nobis ad videndum. Quoniam diffisi-

Pro. 15.

Ioan. II.

Sap. 2.

milis est alijs vita illius, & immutatae  
sunt viæ eius. Tanquam nūgaces æsti-  
mati sumus ab illo: & abstinet se à vijs  
nostris, tanquam ab immundicijs, &  
præfert nouissima iustorum. Quibus  
sanè innuitur, impios varia persequi  
in iustis. Nempe quod iusti videantur  
aduersari commodis & lucris ipsorū:  
quod pietatis operibus vacent, quæ il-  
li refugiunt: quod arguant ipsorū pec-  
cata: quod boni sint nominis, & san-  
cti filij Dei existimentur. Quod cogi-  
tationes atq; intentiones iniquorum  
accusando ac damnando propalare  
videantur: quod conuersatione ipfis  
sint dissimiles: quod peccata ipsorum  
persequantur: quod iniquos vilipen-  
dant, & tanquam homines nihil eos  
habeant: quod impiorum mortem  
tanquam longe miserrimam atq; ab-  
ominabilem contemnant, præferentes  
mortem iustorum quamvis secundū  
sæculum ignobilem. Atq; vt isthæc in  
iustis persequātur, efficiunt superbia,  
inuidia, cupiditas, concupiscētia, qui-  
bus omnes impij & maximè hæretici  
agūt. Vitium proinde est impiorū,

T , s      quod

## 280 CAVSÆ CALAMITAT.

quod iusti persecutions patientur  
non autem iustorum, utpote qui mi-  
tes sint, māsueti, quietis amantes, pro-  
udentes bona, non tantum coram  
Deo, sed etiam coram hominibus, at-  
que pacem (iuxta Apostoli præceptū)  
cum omnibus habentes. Inuidentia

Rom 12.

D. Aug. li.  
15. ca. 5. De.  
ciuit. Dei.

(inquit D. Augustinus, diabolice, qua  
inuident bonis mali, nulla alia causa  
est, quam quia illi boni sunt: isti verò  
mali. Enim uero præter superius allata,  
ut consolatio sit efficacior, & for-  
tiori animo perferant Belgæ, quæ ab  
hæreticis aut alijs hanc prouinciam  
depopulantibus ferre coguntur, cogi-  
tare eos oportet, in se esse multa, quæ  
Dei oculos offendant, & quæ animæ  
suæ noxia sunt. Multa item commis-  
se, quæ plena purgatione neccidum  
diluerunt: Dominum verò tanquam ar-  
tis medicinæ peritissimum, persecu-  
tionū pharmacis morbis eorum con-  
uenientibus ipsos velle purgare, & ab  
omni coinquinatione liberare. Qui  
enim istud perpetuò mente voluerit,  
quicquid ei acciderit aduersitatis, pa-  
tienter utiq; sustinebit. Fit profectò, vt  
tantò

tanto patientius ferrū Chirurgi quis-  
que toleret , quantò magis putridum  
esse sentit quod siccatur , & timet ne re-  
liqua quoq; putrescant, si quid putre-  
dinis in membro remaneat. Sunt cer-  
tè peccata affectionesque prauæ, ani-  
marum morbi, sicut huius saeculi pro-  
speritates(secundum D. Augustinom)  
animatorum vlcera.Scire deinde vnum-  
quemq; conuenit, prauam esse naturā  
hominum ad omne malum, illiq; fren-  
nis esse opus . Atqui Deus illam refre-  
nare solet, angustijs, miserijs, pressuris,  
persequutionibus, idque in ijs potissi-  
mum, quos maximè diligit, quosque  
præparat ad beatitudinis æternæ pre-  
mium, veluti ostensum fuit in exem-  
plis pro argumento præsentī suprà ci-  
tatis.Sicut enim pater familias in oī-  
ni genere patientiæ probatum famu-  
lum ardentius diligere, atque etiam  
liberalius remunerare solet. Et belli  
dux eum militem , qui in pluribus pe-  
riculis non vulnera, non mortem ob-  
ire reformidauit , gloriosiori donare  
brauio . Ita prorsus qui aduersa quecū-  
que, forti atque constanti pertulerint  
ani-

## 282 CAVSÆ CALAMITAT.

animo, qui in se luxuriantem naturā  
 cohibuerint, percessis fortiter calamiti-  
 bus, maiori à Deo donabuntur  
 beatitudinis gloria, delicatius cibabū-  
 tur, vberius diuinitate satiabuntur,  
 profusius inebriabuntur, ab vbertate  
 domus Dei, & torrente voluptatis e-  
 ius potabuntur: Bene proinde D. Pe-  
 trus: Si quid patimini propter iustitiā  
 beati. Et Christus: Beati estis cum ma-  
 ledixerint vobis homines, & cum per-  
 sequuti vos fuerint, & dixerint omne  
 malum aduersum vos mentientes p-  
 ter me: Gaudete & exultate, quoniam  
 merces vestra copiosa est in cœlis: sic  
 enim persecuti sunt prophetas, qui  
 fuerunt ante vos. Itaq; quicunq; Bel-  
 garum direptiones bonorum, exilia,  
 & quæq; indignissima ab hereticis pa-  
 si sunt, exultet ac spiritu exiliat, quod  
 digni sint habitu apud Deum, vt pro-  
 eius nomine paterentur, atq; cum A-  
 postolo dicant: Absit mihi gloriari,  
 nisi in cruce Domini nostri Iesu Chri-  
 sti. Et cum B. Job: Hæc mihi consola-  
 tio, vt affligens me dolore nō parcas.  
 Et Psalmista: Bonum mihi quia humi-  
     lia asti

1. Pet. 3.

Matth. 5.

Galat. 6.

Psal. 118.

liasti me. Et iterum: Castigans castiga-  
uit me Dominus, morti non tradidit  
me. Sunt sanè afflictiones, dolores, mi-  
seriæ, exilia, contemplationes, abiectio-  
nes, Domini Dei correptiones ac pa-  
ternæ erga nos benevolētiæ argumen-  
ta non contemnenda. Obsecro proin-  
de omnes, qui hūc librū lecturi sunt,  
ne abhorrescant propter aduersos ca-  
sus, sed reputent ea quæ acciderunt,  
non ad interitum, sed ad correptionē  
esse generis nostri', omniumq; Belga-  
rum Deo ac Regi fidelium, si tamen i-  
psas calamitates animo patienti pertu-  
lerint. In patientia vestra (inquit Chri-  
stus) possidebitis animas vestras. Bea-  
tus igitur qui suffert tentationē, quo-  
niā cū probatus fuerit, accipiet co-  
ronam vitæ, quam repromisit Deus Iacob. 1.  
diligentibus se. Luc. 2L

*De remedijis, quibus dictis ca-  
lamitatibus occurri potest.*

*Cap. XXVI.*

Ha-


 A Et en⁹ autumo esse satis supq; demonstratum, quenā fuerint causæ calamitatum Belgicarū, & quantum malorum Belgis singulæ attulerint. Nunc restat declarē, quo modo ex singulis causis antidoton aduersus easdem calamitates, quisq; sibi confidere possit: atq; à Deo impetrare ut ab illis liberentur Belgæ, ac meliori conditione donentur: Tum etiam vt efficaciora sint remedia, Deoq; grataria, quid Belgas addere conueniat. Primum scire cōuenit, calamitates haud quaquā à nobis auerti posse, nisi causas vnde ortum tumpserē & incrementum, vitemus, funditusq; extirpem⁹, atq; illatum contraria amplexemur: Contraria enim contrarijs curantur: Et optimus est (inquit Cicero) portus poenitentiæ, mutatio consilij. Exempli causa, offensus est Deus indisciplinatis Belgarum moribus, varijsq; iustitijs, (quæ præsentes meruisse calamitates suprà probauimus) iam iustitiae omnes studeamus, peccata in nobisipsis crucifigentes, atq; persequentes. Peccatum est luxu & fastu: (quib⁹ Deus

Deus vel maximè offenditur) iam sobrietatem, continentiam, humilitatē illorum loco induamus. Ni mis indul-  
tum est hæreticis, & præcipue Belgij inuasoribus? Iam demum zelo fidei in  
eos accendamur, & quibus licet mo-  
dis ac prauis studijs eos reprimamus,  
Deo & Regi pro cuiusq; statu & ordi-  
ne fortiter militantes. Indulgens edu-  
catio iuuentutis, & mala eiusdem in-  
stitutio patriæ nocuit. Nunc tandem  
operam dent Belgæ, vt suas proles, ab  
ipso statim nutricis lacte sancte edu-  
cent & doceant. Senatus indulgentia  
& Prælatorum somnolentia subditis  
calcar addiderunt, vt libertatem affe-  
ctarent, & recalcitrarent? Nunc ab il-  
lis nihil dissimuletur, nihil indulgea-  
tur subditis], quod ab illorum vocati-  
one alienum sit, ipsisq; dispendio esse  
possit. Deniq; peccatum est neglecti-  
one, vel contemptione decretorum  
Sacrosancti Concilij Tridentini? Illa  
nunc omnes simul totis amplexi-  
mur præcordijs, eaque operibus o-  
mni conatu impleamus, nec vnquam  
ab illis vel latum vnguem reçedamus.

Ex

Ex his plus satis constat, qua arte remedium ex cæteris calamitatum nostrarum caufis, aduersus afflictiones Belgicas conficere quisque possit. Porro ut diuinam super nos expansam iram auertamus, eaq;ue auersa, Deo reconciliemur: reconciliati, tanquam filij paterno tractemur affectu, necessarium est, non modo ut prædicta satis ex primiamus. verumetiam ut quæ hactenus à nobis iniquè sunt commissa: quodque in præsens tempus nostri emendationem distulerimus, pœnitentia diluamus. Facite (inquit D. Ioānes) fructū dignos pœnitētia. Etenim quē admodū vulnerato non sufficit spicula de corpore euulsisse, siquidem & vulneribus malagmata adhibere cogitur: Sic planè conuenit, non tantum nouam ingredi vitam, verumetiam q̄ hactenus animabus nostris vulnera infiximus, curare satisfactionis operi b<sup>o</sup> oportet, id requirente Domino cū ait: Cōuertimini ad me toto corde vestro, in iejunio, in fletu, & in planctu: Et scindite corda vestra, &c. Vnde B. Iob: Dolens, quod cum Deo insipienter

Matth. 3.

Ioc. 2.

Iob. 42.

ter esset loquutus , & quæ vltra modum cius excederent scientiam , ait : Idcirco me reprehendo , & ago pœnitentiam in fauilla & cinere . Quis det Belgis talē mentem ? Ecce ynius sermonis ratione insipienter prolati grauissimam Job agit pœnitētiā , & nos piget , qui tot tamq; varijs modis Daum offendimus , similiter pœnitere , atque assumere nostrum languorem curatura remēdia ; scilicet pœnitentiæ opera . Ad pœnitentiam nos inuitant , imo etiam eò impellunt non solum exempla Job , sed etiam Prophetæ Davidis , & aliorum plurimorum , qui ut auerterent à se & à suo populo Dei indignationem , egerunt pœnitentiam in Ieiunijs , oratione , cilicio , luctu , alijsque carnis ac spiritus macerationibus , etiam priusquam manū Dei , perpetrata scelera' punientis sentirent . Atqui nos etiamsi iam diu Dei manū senserimus , & calamitatibus grauissimis opprimamur : in eo tamen quod cœpimus perseveramus , pœnitentiæ opera negligentes , abijcentesq; . Videmus & sentimus quantum mali ac

Matth. 7.

Apoc. 2.

amaritudinis sit in vijs, quas hactenus  
 triuimus, & resiliere non libet. Meritis  
 peccatorum nostrorum iustè vapula-  
 mus, non solum flagellis, sed & scor-  
 pionibus, & piget dolere ac deflere  
 quę fecimus. Non ignoramus eum,  
 quem nimis grauiter hactenus offendim-  
 us, patrem esse misericordiarum,  
 & Deum totius consolationis: illum  
 tamen satisfactionis operibus, & vita  
 renouatione nobis reconciliare dif-  
 ferimus, surda aure excipientes Chri-  
 sti vocem, nos inuitantis & dicentis:  
 Venite ad me omnes, qui laboratis, &  
 onerati estis, & ego reficiam vos. Tol-  
 lite iugum meum super vos, & inue-  
 nietis requiem animabus vestris. Et  
 alibi, Intrate per angustum portam,  
 quia lata dicit ad perditionem. Po-  
 nitemini igitur (sicut admonet D. Pe-  
 trus) & conuertimini, vt deleantur pec-  
 cata vestra. Quibus concinunt verba  
 Domini ad Angelum Ephesinę Eccle-  
 siæ: Memor esto vnde excideris, & a-  
 ge poenitentiam, & prima opera tua  
 fac: Sin autem, venio citò, & mo-  
 uebo

uebo candelabrum tuum de loco  
suo. Qui corpore ægrotat, vt recupe-  
ret sanitatem, non dubitat sumere  
medicam potionem quantumuis  
amaram: Et detrectamus ex animo va-  
care pœnitentiæ operibus, vt à pecca-  
tis lœthalibus liberemur, eorumque  
cicatrices obturemus: necnon tan-  
tas quibus affligimur auertamus, e-  
uadamusque calamitates, scilicet hæ-  
reticorum Deo Regique rebellium  
conuitia, opprobria, contumelias, ob-  
trectationes, blasphemias, mendacia,  
calumnias, ludibria, irrisiones, ama-  
rissimas persequitiones, indignas per-  
cussiones, exilia, bonorum rapinas,  
crudelia mortis genera, quæ Ecclesi-  
sticis in Hollandia, Zeelandia, & Flan-  
dria, permultis fuisse illata, longe est  
notissimum. Quæ indubie acciderūt,  
vt torpor spiritus quo languebamus,  
excuteretur, Deumque toto corde  
& opere quæreremus. Quam rationē  
considerans Psalmographus, Deum oPsal. 82  
rat inquiens: Imple facies eorum igno-  
minia, & quærēt nomē tuū Domine.

## 290 CAVSÆ CALAMITAT.

Psal. 77.

Psal. 15.

Cui consonat illud , cum occideret eos, querebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et remorati sunt, quia Deus adiutor est, & Deus excelsus redemptor eorum est. Et multiplicatae sunt iniquitates eorum, & postea accelerauerunt. Diuino cquidem munere fit , vt flagella oculos delipientis ( teste D. Gregorio) aperi- ant , quos inter vitia securitas coeca- bat. Modus igitur quo oppressi ab æ- ruinis releuemur , infirmi curemur, vapulantes flagella auertamus , De- umque peccatis nostris iratū flecta- mus, est resipiscientia, & vita noua, cū iusta vindicatione peccatorum , seu voluntaria punitione eorum, quæ ad- uersus Maiestatem diuinam impiè à nobis olim sunt commissa. Præterea cum primis necessarium est, vt noctes dicsque clamemus ad Dominum, o- rantes ut sui Belgij misereatur , miser- tus pacem ac tranquillitatem restitu- at, liberetq; ab ijs, qui iam multo tem- pore ipsum iniquissimè sunt depopu- lati, vastarunt, atque horrendum in modum dilaniarunt. Quos si à Belgio armis

armis solum depellere libet, frustrane  
us certè erit hominum conatus iterū  
atque iterum illis nouas mouentibus  
seditiones. Nónne visi hactenus sunt,  
qui Belgium conturbant, quo magis  
viribus humanis conatū est eos cohi-  
bere, eo violentius, tanquam torren-  
tes retenti, omnes remouisse ac perfre-  
gisse obices, nec non in preceps vche-  
mētius diffluxisse, & obuia quæq; secū  
raptasse. Potissima igitur via medēdis  
malis relictā videtur, si prædictis ritè à  
nobis obseruatis credamus humana  
remedia esse per se inutilia, & valere  
potius ad agendas, quām tollendas ca-  
lamitates confiteamur, scilicet prius  
Christi gratiā vnanimi consensu, fide  
viua, & perfecta charitate nō studueri-  
mus orātes demereri: Si ante Deū pec-  
catis nostris iratum, indefessis p̄cibus,  
sacrificijs, & vt diximus, conuersatio-  
ne sancta, religiosaq; omnium dē-  
cretorum SS. Conciliij obseruatione,  
nobis nō reconciliauerimus. Etenim  
sicut, qui reus est lœsæ Maiestatis, et  
iam si à lœdendo abstineat, nihilomi-  
nus poenas commeritas luit: nisi pre-

## 292 CAVSÆ CALAMITAT.

cibus quām potest obnixissimè fusis,  
à Rege delicti sui obtinuerit veniam.  
Et medicinæ ignarus corpus expur-  
gare à multa malorum humorum  
colluuie morbum causante, si atten-  
tauerit, neglectis peritioris medici cō-  
silijs, frequentius morbum auget, &  
nōnunquam etiam mortem infirmo  
conciliat. Sic qui diuinam lēsimus Ma-  
iestatem, quiq; carnalibus desiderijs  
indulgentes contraximus multā pec-  
catorum colluuiem; Dei indignatio-  
nem nequaquam effugiemus ab illis  
abstinendo, nisi pariter iuxta Dei vni-  
ci animarum nostrarum medici con-  
silium, opem eius sedulò imploraueri-  
mus, ipsiusq; iram orationibus condi-  
gnis prius placare studuerimus. O-  
randus ergo primum pro prædictis  
Deus, & quidem tantum, quantum,  
res tantæ rogari merētur. Actum de-  
mum !humanis medijs est vtendum.  
Exēplo Moyfis, Iudith, Ezechiæ, alio-  
rūq; qui victorias aduersus infideles,  
lachrymis ac precibus ad Deum fusis,  
prius promereri studuerunt, quām ar-  
mis viribusq; humanis obtinere nite-

Iudith 13.  
Isaiæ 37.

xcii

rentur, Deus compatiens est, multūq;  
misericors, flectetur utiq; ad miseri-  
cordiam, si nos cōmissa defiendo, ve-  
niā humili ac pura mente deprecari  
senserit. Etenim quemadmodū pater  
filiū immo rigerū castigās, tamdiu fla-  
gellat, donec ex veniā humili implo-  
ratione, illū compungi, contrito esse  
corde, ac de cōmissis dolere senserit.  
Ita indubie non prius Deus misericor-  
diarū à Belgis flagella auertet, quā ex  
animo eius auxiliū totis præcordijs ef-  
flagitemus. Quod si fecerimus, tunc  
iuxta illud Dauidis: In Deo faciemus Psal. ro7.  
virtutē, & ipse ad nihilū deducet ini-  
micos nostros. Desperatē sanè nimis  
ægrotat, quin & incurabilis est, qui su-  
am agnoscere ægritudinem, & medici-  
implorare opē recusat. Agedū ergo cū  
non sit abbreviata manus Domini, vt  
saluare nequeat, neq; aggrauata auris  
vt audire nolit, die ac nocte oremus,  
plorem⁹, deprecemur, obsecrem⁹, ob-  
testemurq; Deū, vt nostri misereatur,  
magnumq; aduersus Belgas indigna-  
tionē remittat, flagella nostras iniqui-  
tates vindicantia abijeat. Fidelis

## 294 CAVSE CALAMITAT.

est, exaudiet vtique sicut promisit si  
 orationibus perseverantes intenderi-  
 mus. Tanto equidem nostræ salu-  
 tis desiderio tenetur, vt ad sui inuoca-  
 tionem nos inuitet, dicens: Petite &  
 accipietis, qrite & inuenietis: pulsate,  
 & aperietur vobis. Et apud Psalmistam:  
 Inuoca me in die tribulationis eruam  
 te, & honorificabis me. Quod si quis  
 de precum suarum dignitate, ob mul-  
 titudinem & enormitatem scelerum  
 diffidat, (neque enim rarum est, quod  
 preces maioribus precibus indigeat)  
 eas sanctorum fulciat precibus. Adhi-  
 beat pro se intercessores, Beatissimam  
 Dei Genitricem Mariam, miserorum  
 aduocatam optimam, omnesque san-  
 ctos nostræ salutis maximo flagran-  
 tes desiderio. Horum suffragio fultus  
 cum fiducia accedat ad thronum mi-  
 sericordiae Christi, & proculdubio ex-  
 audiatur: Nam (teste Apostolo) Deus  
 diues est in omnes, qui inuocat eum.  
 Omnis enim quicunque inuocauerit  
 nomen Domini saluus erit. Promisit  
 qui promissa retractare nescit. Amen,  
 Amen (inquit) dico vobis: Si quid pe-  
 tie-

Lac. 11.

Psal. 49.

Rom. 10.

Matth. 16.

tieritis patrem in nomine meo, dabit  
vobis. Et alibi. Omnia quæcunque pe- Matth. 21.  
tieritis in oratione credentes, accipie-  
tis. Innumera sunt huius argumenti  
loca, quibus ad orationē excitamur,  
atque ad spem exauditionis plurimū  
animamur. Ut autem acceptior sit no-  
stra oratio, apprimē iuuerit, si in illa  
nostra parentumque nostrorum pec-  
cata confiteamur, ac defleamus. Si ag-  
noscamus peccatis nostris esse haud  
condignas, quas in illorum vindictam  
patimur calamitates: Si diuinam in o-  
mnibus commendemus iustitiam: Si  
miserias calamitatesque nostras com-  
memorando, de iniurijs in Deum san-  
ctosque commissis magis doleamus,  
quam de nostris miserijs & afflictio-  
nibus, persequutionibus, & angustijs.  
Quam orandi methodū sequuti sunt  
Daniel, Ezechias, & quicunque in an-  
gustijs cōstituti, Deum orasse, atq; ex Daniel. 9.  
audiū leguntur. Nobis (ait Daniel) cō-  
fusio faciei, Regibus nostris & patri-  
bus nostris, tibi autem Domino Deo  
nostro misericordia & propitiatio,  
quia recessimus à te, & non audiui-

V s mus

mus vocē Domini Dei nostri, & cāte-  
ra quæ apud eū habentur. Quantæ ve-  
rò virtutis hæc eius oratio fuerit, do-  
cuit Gabriel Archāgelus ad eum mis-  
sus, eadem oratione finita. Itaq; cum  
nimis multa sint, & longe grauissima  
peccata & scelera, quibus Deum cle-  
mentissimum offendimus, nec leuio-  
ribus calamitatibus premamur: quām  
qui formam orandi & modum nobis  
reliquerunt, si ab his releuari desidera-  
mus, illos æmulemur, orationes pro  
communi Belgarum salute frequente-  
mus, nostra cōfiteamur ac desfleamus  
peccata, eaq; deplorando, misericor-  
diam nostri saluatoris, sedulò implo-  
remus.

Atq; vt tandem aliquando præsen-  
ti tractatui coronidem ascribamus, o-  
ro obtestorq; omnes Belgas, & quicū-  
que hoc opusculū lecturi sunt, vt me-  
cum in spiritu humilitatis, & animo  
contrito Dominū Deū orent, dicētes:

*Oratio ad Deum vice Epilogi.  
Cap. XXVII.*

Ora-

## ORATIO.

**D**omine Deus misericordiarū,  
Pater, & Deus totius cōsolatio-  
nis, v̄isquequo patieris nos, quos  
hactenus tot ranti q̄; beneficijs dona-  
sti, opprimi calamitatibus? V̄isquequo  
noſtri dominabuntur inimici tui? V̄i-  
quequo religionem auitam tuumque  
cultum pestundabunt, qui nul lius  
ſunt religionis: te vero peccati faciunt  
authorem? Magna certe fuerunt pec-  
cata noſtra, quæ meruerunt, vt à tam  
impijs hominibus: atque etiam in ijs  
quæ p̄tiosiora nobis eſſe debent, quā  
q̄cquid in hoc mūdo possidetur, imo  
& vita propria puniamur. Magna, in-  
quā, fuere peccata, q̄ te Patrē benignif-  
simū ad tantā indignationē prouoca-  
uerūt, atq; pertraxerūt ad tā grauē vin-  
dicationem. Prorsus ex calamitatibus  
nos premētibus satis intelligimus, qđ  
Deus nō volēs iniquitatē tu ſis, quod-  
que odiſti oēs qui operantur iniquita  
tem. Scimus etiā ac ſentimus, quā ma-  
lum & amarum ſit, reliquissē te Domi-  
num Deum noſtrum, & non fuiffē ti-  
morem tuū apud nos. Experimur  
de.

Pſal. 5.  
Ierem. 2.

¶ 6. 14.

deinde verum esse illud Sapientis: Iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum. Nonne Belgæ, qui olim apud te Deus noster & omnes nationes fuerunt, per Iustitiam, quam tenacissimè seruabant grati ac celebres, hodie per illius neglectionē grauissimis atteri miserijs, ac seruitute plusquam Aegyptiacas subdi videntur? Atqui dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem & peccata: Qui nō vis mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & viuat: Memento quæsumus tui caduci plasmatis, memento misericordiarum, quibus pœnitentes prosequi soles. Ex animo equidem pœnitent nos commissorum aduersus tuam Maiestatem: Lapsus nostros non minus enormes, quam varios confitemur, dolemus atque deflemus, tuam supplicantes misericordiam. Eya ergo dulcissime Deus, nos erige lapsos, erraticas oues tuas require propitijs: ad te reuertentes dulcissimis humeris tuis ex-

ci-

cipe, pœnitētes, deplorātesq; nostros  
errores consolare: nec non miserijs &  
calamitatibus oppressos, recrea:libera  
nos de manibus hostium nostrorum:  
aperi oculos tuos, & vide desolationē  
nostram. Da nobis auxilium de tribu-  
latione, quia vana est salus hominis.  
Inclina Deus aurem tuam ad preces, Psal. 107.  
quas ante faciem tuam, non in iustifi-  
cationibus nostris, sed in tuis misera-  
tionibus multis prosternimus. Exaudi  
Domine, placare Domine, attende &  
propter temetipsum Deus noster mi-  
scere. Misertus tanta nos gratia dona,  
vt spiritu renouati, te pura mente &  
corpo in hac mortali vita, sic corde,  
ore, opere colamus, sic laudemus, sic  
glorificemus, sic adoremus, vt hæc ip-  
sa in cælesti beatitudine, liberi ab om-  
nibus peccatis ac miserijs, tua perfru-  
entes exoptatissima visione, in æter-  
num tibi Domino nostro, cum  
sanctis omnibus læti ex-  
hibere mereamur.  
Amen.

Soli Deo honor & gloria

*Libellus iste continens explica-  
tione causarum, ob quas Belgii  
affligitur, nihil habet quod Ca-  
tholica doctrina aduersetur, sed  
multa complectitur, ad commu-  
nē utilitatem scitu necessaria.*

*Arnoldus Masius S. Theo-  
logia Licentiatus Ecclesia  
Namurcen. Decanus.*

